



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

D.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Quidquid nunc parvipendendo transimus, palpando tegimus, dissimulando negligimus; quanto illic cruciata vindex flamma consumet! S. Bern. serm. de eo, quod legitur Job. 5. 19.

Anno 1584. Bolsani missi in montes metallici fossore cum suis quisque lampadibus, ut solent. Eorum incautior unus lampadis mucum projecit in sulphuris venam; & ita incendit montem; ut socios omnes repentinum hoc incendium suffocaverit; mons ipse biennium

fermè arserit. Parva saepe scintilla. Drexelius aurifod. c. 2.

Ferunt urbem nobilem obsessam ab hostibus non prius captam, quam emissus dolò ab hostibus lepusculus, cum ad urbis portas accurreret, à portæ custodibus apertò tantisper portæ minoris aditu, admissus est. Quà occasione usi hostes, alii ex aliis in portam illam irruerunt, urbe deinde totà potiti. Nadasi in sexto mensis amor, div.

## TITULUS XLV. CURIOSITAS.

### Motiva eam vitandi.

**T**otus propter aspectum captivus factus est. Gen. 34. 2. S. Chryl. hom. 59. de Emor filio Sychem. Oculus sit animæ fenestra, speculum sit mentis, sit lumen corporis, membrorum dux sit; non introitus vitiorum. S. Chrysol. f. 139.

Gravis, ac vehemens est proditor, oculus vagus, aequè distractus. S. Ephrem. Pagan. 37.

Mens oculis tanquam fenestris utitur. Laetantius lib. de opificio Dei.

Non humiliter; neque constanter, ut debuit, ingressus est; & fortasse ideo corruit; quoniam, non ut pugnaret, sed ut finem videret, accessit. S. Laur. Just. de triumph. c. 8. de Petro.

Si porta oculorum bene munita fuerit, tota illa interior civitas cordis nostri ab assultu vitiorum quæta erit. Hugo à S. Victore in Plal. 13.

Vide plura tit. Oculus.

## D.

## TITULUS I. DEBITA.

### §. I.

#### DEO reddenda.

**D**imitte nobis debita. Matth. 6. 12: Quid debemus DEO, nisi imaginem, & similitudinem ejus servare illæsam? S. Chryl. hom. 9. c. 6. in Matth.

*Cum non haberet, unde redderet.* Matth. 8. 25. Si non habebat, unde redderet, cur respondet tanta cum fiducia: *Omnia reddam tibi?* utrumque verissimum est: non habet peccator, unde reddat; & potest cum fiducia maxima dicere, *omnia reddam tibi.* Non habet, unde reddat à se; habet, unde reddat à DEO. Non potest peccati debitum solvere pecuniâ propriâ, potest solvere pecuniâ, & mentis D. N. J. C. In seipsum si oculos conjiciat, nihil reperiet, quod pro peccato remittendo sit satis: si Christum Crucifixum intueatur, fidenter elamabit: Domine, omnia reddam tibi. Non reddam ex opibus meis; sed ex opulentissimis thesauris vulnerum Domini mei. Barradius t. 2. l. 10. c. 37. hic. D. 21. Pent.

*Redde, quod debes.* Matth. 18. 28. Nulla est omnino creatura, quæ, quod debet, non faciat; exceptò homine solò, & diabolò. Pro-

bat id deinde I. ab Angelis, & reliquis creaturis. S. Bonavent. f. 123. D. 22. Pent.

*Duo debitores erant cuidam sceneratori.* Luc. 7. 41. Non materiallem sceneratori huic debemus pecuniam, sed meritum examina, æra virtutum; quarum meritum gravitatis pondere justitiæ specie, sonò confessionis, expeditur. Væ mihi! si non habuero, quod accepi. Aut quia difficile quisquam est, qui sceneratori huic integrum debitum possit exolvere. Nihil est, quod dignè DEO referre possimus. Quid enim referamus pro suscepta carnis injuria? Quid pro verberibus? quid pro Cruce? ubitu? sepultura? Væ mihi! si non dilexero. Reddamus ergò amorem pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro sanguinis pretio. Plus enim diligit, cui donatur amplius. S. Ambr. lib. 6. hic.

Plura solvendi habet subsidia, qui DEO; quàm is, qui homini debet. Homo pecuniam pro pecuniâ reposcit, quæ non semper debitori præstò est, DEUS affectum exigit, qui in tua potestate est. Nemo pauper est, qui DEO debet; nisi qui seipsum pauperem fecerit. Etsi non habet, quæ vendat; habet, quæ solvat. Oratione,

tio, lacrymae, jejunia, debitoris boni census est. S. Ambr. lib. 2. de poenit. c. 8.

Etiam si mille mortes pro Christo pateremur; nē sic quidem satisfacere, aut debitum nostrum implere, possemus. Alius quippe est DEI, alius fervorum, sanguis; secundum dignitatem dico, non secundum substantiam. Jo. Climac. gr. 22.

Quid illi retribuemus pro omnibus, quae retribuit nobis? Quid illi pro malis meis, quae pertulit? quid pro bonis suis, quae contulit, referam? quid pro suscepta carne? quid pro alapis, opprobriis, flagellis, cruce, obitu, sepultura, rependam? Reddamus amorem pro debito. S. Paulinus ep. 4. ad Severum.

Ingentia debita labor solvit exiguus, quae vix consumpturus erat ardor aeternus. S. Caesarius hom. 1.

§. II.

### Debita peccata sunt.

**D**imitte nobis debita nostra. Matth. 6. 12. Et dimitte nobis peccata nostra, Luc. 11. 4. Quare post petitionem panis de venia peccatorum agitur? Resp. Fortunatus: bene, post escam quaesitam, postulat venia peccatorum; ut, qui DEI cibō pascitur, Deo vivat. In pane intelliguntur omnia temporalia ad vitam necessaria. Obtentis his homo ad peccatum adeo est proclivis, ut mox ei necesse sit veniam peccatorum petere. S. Thom. in Catena ex S. Chryl.

post subsidium cibi, petitur & venia delicti. S. Chryl. in Matth. 6. q. 16.

**Decem millia valenta.** Matth. 18. 24. Quantum interest inter centum denarios, & decem millia talenta; tantum & inter ea, quae nos in Dominum; & ea, quae alii in nos deliquerunt. S. Chryl. in Gen. hom. 27.

**Et debitum dimisit ei.** Matth. 18. 27. Quam facilis debitum remittit, qui tam iratus iussit venundari peccatorem. Iussit venundari, ut peteret veniam. Vexamur à Domino, ut ad poenitentiam alliciamur. S. Chryl. Rex caelestis non ex crudelitate iussit servum venundari, uxorem, & filios: sed quia incredibili curā illius devictus hac comminatione ad supplicandum, nē venderetur, adducebatur. Escob. t. 6. par. Chr. l. 2. §. 3.

Non curabant Sodomitae debita, neglexerunt quotidie. Neglectu crescente crevit debitum: repetitionis Chirographum auctum est, foenera peccati aucta sunt; factum est tempus repetitionis. Non habuerunt aliquid in promptu, quod redderent; non erant solvendo. Imperavit Dominus debiti, ut ipsi traderentur igni, & mulieres eorum, & filii eorum; & omnia, quae habuerunt, in satisfactionem cederent. S. Chryl. in Gen. serm. de Adam, & poenitentia.

Oculi sunt velut loculi solutionem debitum deducentes per lacrymas. S. Bonavent. in Pf. 118.

## TITULUS II. DESIDERIA.

§. I.

### Symbola, & similitudines.

**O**s meum aperit. Pf. 118. 131. Os cordis desiderium est: quod tunc ad amorem aperitur, quando supra modum ab homine desideratur. S. Thom. Vill. l. 3. Diliges Dom. &c.

**Omnis labor hominis in ore ejus.** Eccle. 6. 7. Os dicitur inhiatio desiderii: qui enim desiderat, quasi os aperit. Laborem igitur esse in ore, hoc est, laborare ad desiderii completionem. S. Bonav. hic.

Omnis, qui vult sibi aliquid praestari, in ardore est desiderii. Ipsum desiderium fitis est animae. S. Aug. in Pf. 62.

Hydropim spiritumaliter patitur, qui ardentem aliquid concupiscit. S. Laur. Just. in fasc. am. ap. 15.

Fames animae, desiderium est. Rich. à S. Vict. tr. de grad. char. p. 1. c. 2.

§. II.

### Desideria dilata cruciant.

#### Ex Veteri.

**Multiplicabo arumnas tuas.** Gen. 3. 16. & conceptus tuos. Ex Hebraeo aliqui sic reddunt: Multiplicando multiplicabo an-

gustiam tuam, & conceptum tuum: angustia paries filios tuos. Ubi observat Oleaster; non in eo fuisse maledictam mulierem, quod multas proles paritura esset, (hoc enim in beneficii Dei numeratur) sed maledictionem, & poenam, illius futuram in modo parienti, & tempore conceptus. Deceverat enim DEUS, ait Oleaster, ut femina suscepto semine, & formato foetu, statim illum emitteret, & non gestaret in utero ad novem menses cum maxima molestia: ideo in poenam peccati multiplicavit tempus. Est mulier desideriorum mirè impatiens: quare cum DEUS maxime totam vellet, acerbiores non invenit dolores, quam ut eam res cupitae dilatione castigarent. Did. Niff. f. 5. D. 1. Quadr. §. 4.

**Commota fuerant viscera ejus super fratre suo.** Gen. 43. 30. Sept. torquebantur viscera ejus. S. Ambr. l. de Joseph. c. 10. torquebantur viscera ejus, quia complectendi ejus, quem desiderabat, libertas differebatur. Id. ib. gaudendum tibi potius, ex quo charissimum tuum Benjamin vides tamdiu desideratum. Ardentem se manifestare, illum amplectari, & osculari, cupiebat; sed eo contuit se, quia tempus opportunum id faciendi exspectabat.

Videns

*Videns autem populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses.* Ex. 32. 1. Impatientissimum desiderium, & expectatio longior, eos ad idololatriam compulit. Paoletti f. 14. de S. Monica.

*Si occurreris tibi homo, non salutes eum; & si saluaverit te quispiam, non respondeas illi.* 4 Reg. 4. 29. Quarit Abul. cur ita propeperare voluerit Eliæus discipulum suum ad resuscitandum puerum? v. id factum, ad satisfaciendum citò desiderio mulieris.

*Defecit in salutare tuum anima mea.* Pl. 118. 81. Ponitur hoc verbum, defecit, pro desiderio nimietate declaranda. Ut est illud Pl. 81. 3. *concupiscit, & defecit anima mea in atriâ Domini.* Item & hic sancta congregatio defecisse dicit animam suam in Domini salvatoris ardentissimam charitatem. Mos enim iste humanitatis est; ut, quod omnino concupiscimus, in eo lassari, ac deficere videamur: quando dilatione suspensi ad vota nostra pervenire non possumus. Cassiodorus in Pl. 118.

*Spes, quæ differtur, affligit animam.* Prov. 13. 12. Cunctis liquet, quòd omne desiderium poena sit; Salomone quoque attestante, qui ait: *Spes, quæ differtur &c.* S. Greg. mor. l. 9. c. 15. Hebr. *Spes protrahit, morbus, aut egritudo cordis; dolor cordis maximus.*

### Ex Novo.

*Rogate ergo Dominum missis, ut mittat operarios in messim suam.* Matth. 9. 38. Quarit Abulensis: cur non iusserit petere operarios ad leinandum? juxta Luc. 8. 5. *Exiit, qui seminavit seminare semen suum.* Resp. q. 8. inc. 10. Matth. hoc dictum est, ad confortationem Discipulorum. Quia, si diceret eis Christus, quòd mittebat eos ad seminandum, videbatur eis imponere tristem rem; eò quòd, qui seminat, expectat longò tempore; qui autem metit, gaudet secundum illud Is. *labuntur coram te, sicut qui laecantur in messe.* Non est leve genus martyrii, torqueri tyrannide desiderii. Did. Niss. D. 1. Pasch. §. 2.

Quarit S. Ambros. l. 1. de poenit. c. 16. Cur DEus elemosynariis, quibus vitam aeternam addidit, hujus vitæ bona promittat Matth. 19. 29. *Omnis, qui reliquerit &c. centuplum accipiet, & vitam aeternam possidebit?* respondet: prius hic promittit, ut fastidia dilationis auferret. q. d. fovere desideria gloriæ, quæ expectatur, talibus promissis voluit, & mitigare spei ardores, quæ molestissima est. Did. Niss. fer. 5. D. 1. Quadr.

*Nolebant venire.* Matth. 22. 3. 4. Iterum Rex mittit servos cum tali mandato: *prandium meum paravi; tauri mei, & alielia occisa sunt; & omnia parata: venite ad nuptias.* Cur monet, in promptu esse omnia, nec aliud reliquum; quàm venire, & instructæ jam mensæ assidere? Causa hæc est: vocabantur primò nuntio ad nuptias, & ad prandium: cumque invitati putarent, moras fore in celebritate nuptiarum, nolebant venire. Nam homines omni voluptati renuntiare malunt, quàm diu illam expectare. Plus enim pon-

*Polyanthe. Sacr. Tom. 1.*

deris habet dolor desiderii præsentis, quàm gaudium boni futuri. Itaque Rex, ut certò illos convivas habeat, monet; invitasse illos non ad expectandum, sed ad prandendum. Did. Niss. f. 5. D. 1. Quadr.

*Volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ.* Marci 6. 25. Et non vides puella regem mensæ assidentem? cum primoribus regni sui; nec opportunum esse exercendæ crudelitati tempus; nec decere, ut vinum sanguine misceatur. Nihil horum vel cogitat, vel curat. *Voluit protinus des.* Id. f. 4. D. 1. Quadr. §. 4.

*Exultavit infans in utero ejus.* Luc. 1. 44. S. Chryl. apud Metaphr. 24. Junii: exultavit, tanquam injustam custodiam quatibat matricem; in claustra naturæ insultabat, calcibus; & clausis labiis vociferabatur figuris, talia matri dicens: *injustè facis, o-mater!* quæ tardas prophetam; geltando in utero præcursores Regis Christi martyrem stringis. Unde hoc martyrium Joanni? quis carnifex? non alius, quàm vicinitas boni propinqui: ad manum habere DEum, nec illò frui pro voto posse, hoc est esse martyrem. Id. fer. 6. D. 1. Quadr. §. 2.

*Baptismo habeo baptizari; & quomodo coarctor, usq. dum perficiatur.* Luc. 12. 50. Non ait: quomodo, cum perficietur. arctabor. q. d. tunc non arctabor, cum perficietur. Modò desiderii patitur flammæ, postea sustinebit crucis injurias. Sed adeò levius est, patibulo dilaniari, quàm equaleò desideriorum torqueri; ut desiderans arctetur, patiens quodammodo doloribus exolvatur. Cajetanus: affirmatur coarctatio, id est, afflictio; & sub admiratione ponitur modus. Quomodo? quia incredibile modò affectabat perfectionem passionis suæ. Vehemens desiderium animi martyrium. Qui anxio, vehementique desiderio cor tradidit, sævo tortore non indiget: nam cupiditatis flamma sic durè exedit præcordia, ut longè tyrannorum excedat tormenta. Inventus est, qui ardenti rogo manum subridens admoverit; qui ferociam truci tortoris, marmoris instar, eliserit, &c. non tamen hucusque repertus est, qui, urgenti desiderio divexatus, non clamet, non gemat, & suspiret. Naxera in Jos. 15. §. 34.

*Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Luc. 23. 42. Nè superaretur tædiò, nè laxaretur tarditate, nè longæ expectationis fatigatione succumberet; beatitudinem coelestem, & coeleste promittit obsequium. S. Chrysol. l. 24.

*Et ego mitto promissum Patris mei in vos.* his dictis, *elevatis manibus, benedixit eis.* Luc. 24. 49. 50. Benedixit Discipulos suos, fortassis infundens eis vim; quæ custodiret usque ad adventum Spiritus. Theophyl. hic. Cur hoc robore egebant Apostoli, ut servarentur usque in diem adventus Spiritus Sancti? quod periculum imminerebat? Quia spes tantum affligere solet; ut videatur DEus præstolabundos novis auxiliis necessario constabile debere, nè vita illorum inter expectationem deficiat. Did. Niss. l. 10. c. 2.

Hhh

Erat

*Erat ibi 38. annos habens in infirmitate sua.* Jo. 5. 5. Ex multis miseris, quas hic homo passus, præcipuus dolor fuit, expectatio 38. annorum. Id. f. 6. D. 1. Quadr.

*Modicum, & non videbitis me.* Jo. 16. 16. O modicum, & modicum! o modicum longum! Pie Domine! modicum dicis, quod non videbitis te? saluum fit verbum Domini mei: longum est, & multum valde nimis. S. Bern. f. 74. in Cant.

### Ex Patribus, & aliis.

Domine! ante te omne desiderium &c. Omne desiderium in poenam convertitur, si non citò evenerit, quod optatur. S. Greg. in Pl. 3. poenit.

Maximæ dilectionis, & fidei est, non patienter mori; sed patienter vivere in hoc sæculo pleno peccatis; & voluntatem sequi Creatoris cuncta bene disponentis, dum non citò exauditur cupiens dissolvi; desiderans ab ista valle lacrymarum migrare ad gaudium visionis Dei. S. Rupert. l. 12. in Matth.

Unicus revera dies, tota hominis vita est desiderio languentibus. Quod Theocritus in Bucolicis dixit: languentes desiderio unâ luce fenescunt. S. Greg. Naz. or. 13.

Omnis mora desideranti longa est. Hugo à S. Vict. in Pl. 41.

Vide plura tit. Spes. Longanimitas.

### §. III.

*Cupimus negata, difficilia, abstrusa, absentia.*

### Ex Veteri.

**T***Abernaculum ita facies: decem cortinas.* Ex. 26. 1. Oleast. novit Dominus, quam facile in contemptum veniant, quæ nobis sunt familiaria; ideo, licet delicias duxerit esse cum filiis hominum, voluit tamen ab eis multis operculis occultari.

*O si quis mihi daret potam aquæ &c.* 2. Reg. 23. 15. Non constat David hanc aquam appetisse, nisi Philistæo ad eam positò v. 14. Quo Philistæus magis aquam negat, eò David magis capit. Quod siti David, id fame probat Esau, qui à Jacob pulvis petiit. Gen. 25. 30. Cunctatur Jacob, & negat, nisi sibi vendat primogenita. Quò Jacob in negando tenacior, eò frater in expetendo importunior; ut mori se credat, nisi fruatur optatis. Velloso in Judith 7. Parænet. 17.

*Rex Salomon adamavit mulieres alienigenas multas.* 3. Reg. 11. 1. Pineda l. 7. de reb. Salom. c. 6. n. 3. Mirum, ait, quòd inter tot foeminarum greges nulla mentio Israeliticarum foeminarum fiat: quia scilicet non placent, quæcunque facile obtinentur. Seneca l. 3. de benefic. c. 4. novis cupiditatibus occupati, non quid habeamus, sed quid petamus; non in id, quod est, sed in id, quod appetimus, intenti: quod enim domi est, leve est. Did. Niss. D. 1. post Pascha. §. 1.

*Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti.* Pl. 30. 20. Rectè autem

intelligimus absconditam, ut eam desideria humana plus appetant: quia solet fastidiri omne, quod subjacet; & vile plerumque creditur, quod sine aliquâ difficultate præstat. Cassiod. hic.

*Aquæ surtiva dulciores.* Prov. 9. 17.

### Ex Novo.

*Accesserunt ad eum turba multe.* Matth. 23. 30. Unde tanta populi tunc ad eum concurrentio? Abul. q. 89. venerunt nunc multæ turbæ; quia nunc Christus veniebat tanquam novus in terram illam: nam fletat aliquandiu in terra Tyri, & Sidonis; & tunc Judæi non audebant verbum illius. Nunc verò cum rediit, ex desiderio venerunt ad eum multi; quia carentia præstat desiderium.

*Egressus abiit in desertum locum.* Marci 1. 35. Eò loci non facile abiit turba hominum. Negat copiam sui hominibus Christus D. quò abiens acueret desiderium eorum. Victor Antiochenus.

*Vide nemini dixeris.* Marci 1. 44. at ille egressus cepit prædicare.

*Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua.* Luc. 16. 25. S. Chrysol. f. 123. ex persona Abraham: tu vocas patrem, ego voco filium; ut amaritius doleas, perdidisse te, quòd natus es. Adhuc voco filium; ut amaritius doleas, quod tibi gratia dederat, & natura: quia non habuisse, doloris non est tanti, quanti habita mæroris est perdidisse. Author Imperf. in 22. Matth. invenies actum in omnibus prophetis, quia viventes eos nemo coluit, sed post mortem. Unde & Dominus ait: *qui adificavit sepulchra prophetarum.* Matth. 23. 29. S. Hier. ep. 46. Scire non possumus ærotationis mala, nisi cum fuerit sanitas consecuta: & quantum boni virtus habeat, vitia demonstrant; clariusque fit lumen comparatione tenebrarum.

*Dedit eis potestatem filios DEI fieri.* Jo. 1. 12. Savius forsitan fuisse dicere, ut libertas videretur major, fecisse DEUM DEI filios hos, qui in Filium ejus credunt: quibus cum solam potestatem concessam ait, quæ filii DEI fieri possent; difficultatem aliquam obtinendo illius dignitatis, tali verborum circuitu indicare videtur. Chryl. & Euthym. Non statim fecit eos DEI Filios, nè per ignaviam perdant gratiam; sed *dedit* ipsis potestatem fieri, quæ diligentiores reddantur. Greg. Naz. or. 16. quidquid facile percipitur, facile quoque in contemptum venit; quod autem supra nos est, quò majori cum difficultate percipi potest, eò etiam majorem sui admirationem movet: atque id omne, quod desiderium nostrum fugit, cupiditatem exercet. Cyrill. Alex. l. 3. in Jo. c. 34. tunc gratissimum solet videri beneficium, quando magnò ardore petitur! aliter animus hominis magnitudinem beneficii non cognoscit. S. Laur. Just. l. de triumph. c. 24. id possidetur fortius, gustatur dulcius, charius amplectitur, ac prudentius custoditur; quod ardentissimè concupitum, foletter quaesitum, atque laboriosè re-  
pertum est.

Cum

*Cum sero fiet die illa.* Jo. 20. 19. In-  
geniosa solertia est, moras asserre beneficiis, ut  
sint gratiora: quia, sic sunt homines, ut  
parvi faciant, quod modico labore, tenui  
sumptu assequuntur. Did. Niss. D. 1. post  
Pacha.

*Occasione accepta peccatum per manda-  
tum operatum est in me omnem concupi-  
scentiam.* Rom. 7. 8. Videtur lex peccati  
causa esse; quæ, dum prohibet, concupiscen-  
tiam quodammodo inflammare videtur. S.  
Hier. ep. 131.

### Ex Patribus, & aliis.

Rosarum amatoribus natura minutas illas  
spinas, quasi quædam amatoria illectamenta,  
isti flori affixit; ut stimulis illis ægre contactum  
admittentibus ad majus desiderium colligentes  
provocet. S. Basilus. apud Did. Niss. D. 4.  
Pent. §. 1.

Sic à natura comparatum est; ut quibus ex-  
pedire, facileque, potiri possumus, ea tægnius ap-  
petamus. S. Greg. Naz. or. 13.

Ideo Christus noluit apparere (in Eucharistia)  
quod est; ut sit desiderabilior. Algér. l. 2. de  
Sacramentis c. 5.

Avidius requiritur, quod latet; & pretiosius  
est, quod cum fide queritur. S. Palschaf. c. 12.  
de Sacram.

Gratior est fructus, quem spes productior  
edit: ultro objectorum vilis est pretium. S.  
Prosper Aquin. epigr. 67.

### §. IV.

#### Desideria longa, possessio brevis.

**A**brahæ omne vitæ tempus in sobolis votis  
transactum est; inutili senectuti concessus  
filius. Gen. 21. 2. Zeno Veron. f. de Abrah.  
Abraham Patriarcha nostrar exploratus à DEO, in  
senectute suscepit filium: nihil tamen sollicitum  
Patri, cujus ætas in annis vergentibus in occa-  
sibus sui terminum versabatur, & educationis  
tempus angustum, quando senectuti exitus jam  
vicinus.

*Septimo die septies circuitis civita-  
tem, & muri funditus corruent civitatis.*  
Jof. 6. 4. 5. Hebdomada, humanæ vitæ figu-  
ra, diebus septem recurrit; ex quibus sex in  
civitate ambiendo ponit populus: & septimi  
diei majus spatium septem circuitiones infumunt;  
ac tandem in diei articulo optata eveniunt, &  
Jericho possidetur everfis muris. Naxera in  
Jof. 5. §. 7.

*Sol contra Gabaon nè movearis.* Josue  
c. 10. 12. 13. diem conflictus absumperat, nec  
jam supererat triumphis spatium. Ergo Josue sta-  
tionem soli imperat. Tempus triumpho con-  
cessum est: moratus est sol; sed stupendò, & sæ-  
culis invisò miraculò: Josue luminaria sistit, quia  
prudenter agnoscit, post longum conflictus spa-  
tium defuturum victoriae tempus. Hoc petivit  
Josue, ait Lyra; ut haberet tempus adversarios  
persequendi. Id. ib.

*Ubi est, qui natus est Rex Judæorum?*  
Matth. 2. 2. Christus nascitur Rex ab omnibus  
acclamandus; sed usque ad vitæ extremum regni

*Polyanth. Sacr. Tom. I.*

titulum non est adeptus; licet à vitæ primordiis  
hoc curarit, nostræ salutis, non gloriæ vanæ,  
cupidus. Crucem subit, & titulus Cruci præ-  
fixus sæculorum Regem denuntiat: *hic est Je-  
sus Rex Judæorum* Matth. 27. 37. O quos  
doloribus titulus Regni constat! tribus tandem  
horis caput titulo redimitum resplendet. Totam  
vitam laboribus davis consecraverat, ut acquireret.  
Id. ib.

*Anima mea habes - stulte, hac nocte.*  
Luc. 12. 19. 20. Non poterant non exigua esse  
possessionis spatia, cum tam proluxa fuerint am-  
bitionis tempora. S. Cyrill. in Catena: fru-  
ctus quidem habes in horreis; sed annos plu-  
rimos unde poteris obtinere? dives igitur non  
parat permanentia bona, sed caduca; &, quod  
stultius est, vitæ longitudinem sibi taxat.  
Id. ib.

### §. V.

#### Diu desiderata chariora.

**C**aro constat, quod longò desiderio emitur.  
Christus Chananæ salutem Matth. 15. 23.  
filia dilati desiderii pretio vendidit. Did. Niss.  
f. 5. D. 1. Quadr. §. 4.

*Eò quòd esset Elisabeth sterilis.* Luc. 1. 7.  
Quare sterilitas horum parentum explicatur?  
V. Beda hic: divinitus est procuratum, ut pro-  
vectæ ætatis, diuque conjugii fructu privatis Jo-  
annes parentibus nasceretur: quatenus inopinatò  
prolis ortu, & ipsis donum gratius efficeret, &  
cæteros miraculi stupor futuri prophetae pararet  
auditui. Quanto res desiderata magis est extra  
spem, tantò majori cum gaudio suscipitur. Sylv.  
hic q. 8.

*Quid mihi, & tibi, est mulier: non-  
dum venit hora mea.* Jo. 2. 4. Non ferè  
solet Christus ultro; & non rogatus, ad mira-  
culorum effectum accedere; sed necessitati,  
& usui hominum id expetentium hanc gratiam  
præbere. Etenim sæpe usu venit, ut, quæ ali-  
quantisper differuntur, postea sint chariora; &  
quæ non petita ultro donantur, minus grata sint,  
minorique in pretio habeantur. S. Cyrill. Alex.  
apud. Niss.

Id possidetur fortius, gustatur dulcius, charius  
amplectitur, ac prudentius custoditur; quod ar-  
dentissime concupitum, solerter qua situm, atq; la-  
boriosè repertum est. S. Laur. Just. de triumph.  
c. 24.

### §. VI.

#### Desideria bona & sancta.

#### Num. I.

#### Symbola, & Allegoria.

**D**ivisæ, aquæ quæ erant sub firmamen-  
to &c. Gen. 1. 7. Firmamentum anima ra-  
tionalis; aquæ superiores sancta desideria, & muni-  
dæ cogitationes. Hugo Card. hic.

*Quid clamas ad me &c.* Ex. 14. 15. De-  
siderium viri sancti clamorem appellat, quia lin-  
guâ profecto tacebat. Non semper clamare pos-  
semus motu labiorum; semper autem possumus,  
bonò desiderio, fervore, quod ostendit Domi-  
nus loquens ad Moysen tacentem. S. Bern. tr.  
de Pass. D. c. 6.

Hhh 2

Flores

*Flores apparuerunt in terra nostra.* Cant. 2. 12. Quid sunt animarum nostrarum flores, nisi sancta desideria. S. Franc. Salef. Bibliotheca c. 5. Liliis candentibus sanctarum cogitationum, rosis rubentibus ardentium affectuum, floribus vernantibus caelestium desideriorum, gratiae suae lectulum sparsit. S. Thom. Vill. in c. 1. Cant.

*Omnis, qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum.* Jo. 4. 13. Ecclesiasticus verò dicit 24. 29. *qui edunt me, adhuc surient; & qui bibunt me, adhuc sitient.* Qui haec conveniunt? Alb. M. Carthus. Bonav. Lyr. respondent: triplex est desiderium. I. rei non habitae, ut habeatur. II. rei habitae ut conservetur. III. rei habitae, ut augetur. Dum ergo dicit Ecclesiasticus: *qui bibunt me, adhuc sitiant.* est secundò, & tertio modò: quia iustus maximè desiderat conservare DEI gratiam, & in charitate erga DEum crescere. Christus D. autem loquitur de primo desiderio, & siti: nam qui semel accipit in se Spiritum sanctum, non habet necesse illum iterum recipiendi; nisi per peccatum expellatur.

## Num. II.

## Varia de bonis desideriis.

*In ipsa effusione infansium unus (Zara) protulit manum, in qua obsterrix ligavit coccinum.* Gen. 38. 27. Mira res: manum protraxit, & protractam recondidit. Dum parturitionis non oppetit tempus, Zara ardentem majoritatem anhelat; at, dum necesse est porrigere manum ad ardua, cedit ignavus. O quor in Mundo Zaræ! dum pariendi tempus non adest, gestiant, lucem ambiunt, sibi magna facturos promittunt; opportunitate tamen invitante dexteram retrahunt, & arida desideria relinquunt. Naxera in Jos. 18. §. 16.

*Reliquia cogitasti totis diebus festum agens tibi.* Pl. 75. 11. Antonius Guevarra in prologo ad orat. Religiosor: adeò DEus noster est, ac tam paucis contentus; ut festum agatur ei reliquiis ipsis bonorum desideriorum.

*Desiderium iustorum omne bonum est.* Prov. 11. 23. S. Bern. ep. 10. Sicut fides ducit ad plenam cognitionem, sic desiderium ad perfectam dilectionem. Ex hac gnome discite praxim facilem crescendi in omni virtute, & meritò; si crebra, & ardentia, desideria eorum concipias. Per hoc enim virtutem quamlibet, (etiam cum exteriori ob paupertatem, infirmitatem, aliumve defectum, exercere non possumus) interiori in animo concipimus, firmamus, augemus &c. Corn. hic.

*Amici auscultant.* Cant. 8. 13. Siquidem Angeli amici sponfi sunt, auscultant vocem ejus, quem faciunt sponsum audire. Voces ejus desideria sunt: hæc vehementer clamant in aure sponfi; hæc auscultant amici, videlicet angeli; his delectantur, ista nuntiant. Et illam animam, ut veniat, invitant; istam consolantur; & monent, ut quærat, & pulset. Rich. à S. Viç. hic. c. 4.

*Pedes ejus similes auribus.* Apoc. 1. 15. Pannonius: quia Christi desideria sancta erant, & fortissima, ut non cederent morti; rectè ari comparantur. Frequentèr in scriptura per pedes de-

sideria, & affectus, significantur: Pl. 9. 16. Pl. 17. 34. Pl. 35. 12. Prov. 3. 13. Sylv. hic 9. 58.

## Ex Patribus, &amp; aliis.

Tota vita Christiani boni, sanctum desiderium est. Quod autem desideras, nondum vides; sed desiderando capax efficeris; ut cum veneris, quod videas, implearis. S. Aug. tr. 4. in ep. 5. Jo.

Sancta desideria dilatione crescunt. Si autem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt. S. Greg. hom. 25. in Evang.

Celebritas bona, ac pulchra, & DEO grata, est Dei cognitio, æternorumq; bonorum desiderium. S. Ephrem serm. in Crucem pretios.

S. Gregorius Theol. in laudem patris sui S. Greg. Ep. Naz. orationem sic inchoat: homo Dei, & vir spiritualium desideriorum: hęc enim nomine sublimes, & excellens viros, & super ea, quæ oculis cernuntur, positos Scriptura vocat. Alloquitur ætem hac compellatione S. Basilium præsentem. Parum operatur, quamvis multa agat, qui non amplius agit affectu, quàm actu. Non meruit secreta scire caelestia propheta Daniel, quia jejunavit sed quia concupivit, dicente angelo Dan. 9. 23. *ego autem veni, ut judicarem tibi, quia vir desideriorum es.* Et quis potest verbis propalare sanctorum desideria? soli experti norunt amantium affectus; quam sæpe desiderio patiuntur, dilaniantur, uruntur, occumbunt. Quod si liceret; non segniùs sustinerent actu, quàm desideris concupiscant. S. Laur. Just. de discipl. monast. c. 6.

Avis cavæ etiam argentea, inclusa, vel aurea, desiderat exire; & exeundi cupiditate caput exporrigit. Sic, licet anima iusti in hac vita divitiis, honoribus, & deliciis, circumfluat; DEum suum desiderat, cujus sanctò amore est inflammata. Stella de contempt. p. 3. c. 36.

## §. VII.

Desideria in solum DEum tendant.

## Ex Veteri, &amp; Novo.

*Requievit die septimò.* Gen. 22. Quid restat? ut intelligamus, nisi fortè creaturæ rationali, in qua & hominem creavit, in seipso requiem præbuisse, post ejus perfectionem, per donum Spiritus Sancti; per quem diffunditur charitas in cordibus nostris: ut illic feramur appetitu desiderij; quò cum pervenerimus requiescamus: id est, nihil amplius requiramus. Sicut enim rectè Deus dicitur facere, quidquid, ipsò in nobis operante, fecerimus; ita rectè DEUS dicitur requiescere, cum ejus munere requiescimus. S. Aug. De Genesi ad lit. l. 4. c. 9.

*Sittit in te anima mea.* Pl. 62. 2. Beata sitis, quæ DEum sinitur! Nonne Davidis rigebant pavimenta aurò? nonne ubique palmæ, tributa undique? nihilominus in deserto est. Cur? sinit DEum. Nam animæ sicienti DEum nihil omnino sapit, nisi DEUS. Oliva l. 3. Strom. hic.

*En lectulum Salomonis 60. fortes ambiunt.* Cant. 3. 7. Ex fortissimis Israel, id est, ex his, qui DEum mente complectuntur, & quorundam ferventiora fuerint deside-

desideria spiritualia, hunc lectulum ambiunt. Vehementibus enim desiderijs accensi, undique circumueunt, & aditum quarunt, ut quietem hanc degustent. Rich. à Sanct. Vict. apud Corn. hic.

*Quis mihi det se fratrem meum - ut inueniam te foris?* Cant. 8. 1. Quid autem est foris? æstimo, quod extra corpus. S. Bern. tr. de Pass. D. c. 3.

*Non est, qui clamet in eis ad me.* Osee 7. 7. Quidnam est clamare ad Dominum, nisi desiderare Dominum? Cœterum si quis orationem multiplicet, quantumvis clamando, & lacrymando, non habens intentionem in hoc, ut ipsum mereatur habere Deum, sed ut aliud quid obtineat terrenum, siue transitorium; non veraciter potest dici, clamare ad Dominum. S. Rupert. de Operib. S. Spir. l. 3. hic.

Ubi fuerit corpus. Matth. 24. 28. Aquilas vocat Sanctos, qui cupiunt dissolvi, & esse cum CHRISTO. B. Ivo Carnot. de Epiph. D.

*Cum turba irruerent.* Luc. 5. 1. Desiderabant, non solum eum aspiciere, & audire, sed etiam tangere: & posteriores impellebant priores; ita ut cum impetu quodam irruerent in eum. Quis enim bonæ mentis non appeteret, tam dulcem, & pulchrum, videre; tam sapientem, & eloquentem, audire; tam virtuosum, & sanctum, attingere; tot, & tantorum mirabilium operatori astare? præsertim, quia gratissimum habebat, delectabilissimumque, aspectum, imò in revelationibus S. Brigittæ credibiliter legitur B. Virgo loqui ad Brigidam: quod quicumque desolatus, seu tristis, vultum Filij sui aspexerat, mox levamen consolatorum sensit; ita quod aduersitatibus, aut mœnore, pressi, dicere consueverunt: eamus ad filium Mariæ, ut ex ejus consolemur aspectu. Dion. Carth. hic.

*Zachæus querebat videre Jesum, quis esset.* Luc. 19. 3. Componere hujus desiderium cum desiderio Herodis. Ambo cupiebant videre Jesum; verum Herodes non tam cupiebat, quàm exspectabat: contentus desiderio nil aliud cerabat; Zachæus media adhibuit, ut optatis frueretur. Bæza l. 4. c. 3. §. 17. Hic, si staturâ pusillus, animò magnus erat; eum affectavit videre Jesum, augmentum nactus est ex arte, atque studio, quod sibi natura negaverat. Ex omni satagit, ut videat, cujus tam eximie bonitatis audierat famam. Sed quoniam scriptum est Prov. 10. 24. *desiderium suum iustus dabitur*, complendum erat sanctum desiderium ejus; quò nullum sanctius, quàm Jesum quærere; habere notitiam ex modo, quò in via est donanda mortalibus. Sim. Cass. l. 9. cap. 48.

Unâ Sabbathi, Jo. 20. 1. Per noctem ambulaverunt, quæ diluculo ad monumentum fuerunt. Sabbathò quieverunt, propter mandatum legis, quia lex vetat Sabbathò operari. Constat itaque, quia in lacrymis pervigiles amore, nimirumque longâ retardantis Sabbathi morâ fatigatæ; mox ut onerosum illud Sabbathum abijt; non quieverunt, non dederunt oculis suis somnum, non Luciferum ad proficiscendum præ-

stolata sunt; mortem pro die, desiderium pro luce, lunam rapuere pro sole.

Falso igitur quidam Evangelistas calumniati sunt, quòd contraria dixissent in eo, quod Matthæus *vestire Sabbathi*; cœteri *prima Sabbathi diluculo*, mulieres venisse dixerunt ad monumentum. Matthæus enim, ut earum commendaret desiderium, quando venire cœperunt; cœteri dixerunt, quando pervenerint. S. Rupert. hic. l. 14.

### Ex Patribus, & alijs.

Paratus sum ad ignem, ad bestias, ad gladios, ad crucem: tantum ut Christum videam, Salvatorem meum, & DEUM, qui pro me mortuus est S. Ignatius M. ep. 4. ad Tharsenses.

Bonum tuum quære ò anima. Est enim bonum aliud alteri; & omnes creaturae habent quoddam bonum suum. Quære tuum bonum, summum bonum; hoc est tuum bonum. Sunt & inferiora bona, quæ alijs & alijs, bona sunt. Pecori quod est bonum? nisi implere ventrem, dormire, bibere, &c. tale tu bonum quæris coheres Christi? - Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium. S. Aug. in 102.

Omnis homo cupit quod bonum est; & affectu quòdam naturali constringimur ad omne, quod bonum putamus. Et quid habetur tam bonum, quàm Deus? S. Basil. Regula de instit. Monach. c. 2.

Porrò hoc est unum illud necessarium, in quo est omne bonum, imò quod est omne, & unum, & totum, & solum bonum. S. Anselm. Prologij c. 23.

Cur per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui. Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum; & satis est. Id. ib. c. 25.

Quodcumque bonum cupis, quodcumque pulchrum quæris, quodcumque dulce, & delectabile, requiris; totum in ipso invenitur, & in ipso perfrueris. Si gaudere, ipse gaudium est; si te pugnare delectat, ipse palma est; si coronari vis, ipse corona est &c. S. Bern. l. de miseria humana.

Qui perpetuâ Dei cupiditate flagrat, hic eum cernit. Sanct. Joan. Damasc. l. 1. Orthodox. fid. c. 18.

DEUM tuum desidera cunctis diebus vitæ tuæ: dulcedo quippe, & illuminatio, atque lætitia perpetua est, desiderare DEUM. S. Ephrem de Virginit.

Bonum est, quò quis adeptò nihil ulterius desiderare potest. S. Bonav. l. 2. de adv. & Boetius l. 3. de consol.

Deus finis est animæ, & ejus ultima perfectio: ipse est velut centrum, & locus naturalis omnium desideriorum suorum. Joan. Gerl. Confid. 42.

## §. VIII.

*Desideria mala, carnalia &c.**Symbola, & Similitudines.*

**ET Chamaleon.** Lev. 11. 30. Theophrastus docet, chamaleontem ex rore vivere; & saepe deprehensum muscas comedere. Et hinc forte orta vulgi opinio, eum ex aere vivere. Est symbolum eorum, qui ventō honoris, & muscis deliciarum, se patunt. Quam multi Christiani stolidiores Domitiano; qui, cum salutem suam aeternam procurare debeant, quotidie non duabus, sed omnibus horis, captant muscas. Ambis o pes? muscas ambis &c. Corā. hic.

**Humiliata est in pulvere anima nostra.** Palm. 43. 27. Pulvis sunt cogitationes nostrae vanae; terra autem paiva desideria. Hugō à S. Viç. hic.

**Musca morientes &c.** Ecclā. 10. 1. Concupiscentia aptè comparatur musca: quia instar musca vilis est, exilis, mordax, immunda, importuna, improba, & putida. Est brevis aevi; vivit enim paucos dies; imò subinde paucas horas; seque in oleo, melle, aliāque re dulci, suffocat; vel ad lucem lucernae, aut candelae, advolans adurit. Denique musca est indocilis, & indomabilis, sicut concupiscentia. Corn. hic.

**Omne capus languidum.** II. 1. 5. *Et omne cor mœrens: à planta pedis &c.* Caput liberum arbitrium; cor consilium; pes carnale desiderium. Rich. à S. Viç. tr. de statu inter. hom. post. lapsum.

Nunc verò tribus malignissimis, & validissimis ventis expositi sumus: Carni, diabolo, & Mundo; qui conscientiam illuminatam moluntur extinguere, insufflantes in cordibus nostris desideria mala. S. Bernard. f. 3. in vig. Nat. D.

Quid? nisi quaedam bestiae sunt, qualibet vitia? quid nisi bestiae sunt, qualibet prava desideria? Rich. à Sanct. Viç. de erudit. hom. inter. 1. 3. c. 2.

Sicut bonus unum habet Deum, quem colit; ita mali multos habent deos, & idola: quia multas scilicet voluptates, multa desideria vana, passiones diversas, quibus serviunt. Idiota in Palm. 17.

*Motiva frænandi desideria prava.*

**Uenam mortui est mus.** Ex. 16. 3. Hæc periculosa, gravisque, animae ingerit agritudo, ut noxia sumere velit; & quae utilia sunt, ac salutis proficiunt, spernat, ac renuat. Sanct. Prosper p. 2. cap. 8. de pop. Isr. carnes desiderante.

**Filij hominum usquequo gravi cor de &c.** Pf. 4. 3. Hæc potissima ratio, cur deberent homines non amplius inhærere temporalibus: quia videlicet venit ad nos de caelo Sanctus Dei, id est, Filius Dei. Bellarm. hic.

**In circuitu impij ambulat.** Psalm. 11. 9. Semper ambientes bona Mundi, & nunquam ad finem desideriorum suorum pervenientes. Id. hic.

**Fortitudinem meam ad te custodiam.** Pf. 58. 10. retrahendo nimirum vim appetituum meorum, eamque in te solem dirigendo: appetitus enim animam in plura distrahens, debilem reddit ad virtutem. Joannes à Cruce libro Alcent. montis Carmeli c. 8.

**Vistiasti terram, & inebriasti eam.** Pf. 64. 10. Quid, putas, est causa, quod solem terram Dominus dicitur inebriasse? cur non etiam & mare? sed scimus, quia mens, quae per varia desideria fluctuat, quam adhuc saecularium curarum procella exagitat; ad illud internum gaudium non admittitur; & illò torrente voluptatis non potatur; quanto minus in ebriatur. Hæc est illa verè beata terra, mentis videlicet stabilitas tranquilla; quando mens in seipsa tota colligitur, & in uno aeternitatis desiderio immobiliter figitur. Rich. à Sanct. Viç. l. Benjam. cap. 38.

**Expectatio sollicitorum peribit.** Prov. 11. 7. Pagn. *expectatio divitiarum.* Alij *vanitatum.* Alij *cupiditatum;* Alij *dolerentium.* Alluditur ad Benjamin, quem mater Rachel Gen. 35. 18. in partu cupide enixa vocavit *Benoni;* id est, *filium doloris mei.* q. d. sicut Rachel filiorum cupidissima hanc suam cupiditatem luit morte, (nam partu Benjamin interiit) sic pariter expectatio sollicitorum, id est, cupiditatis inhiantium; ideòque dolentium, & suspitantium, peribit; imò ipsosmet enecabit. Quod enim appetitur sollicitè ex amore, hoc acquiritur cum dolore, & amittitur cum mœrore: qui saepe hominem ita affligit, ut vitam ei adimat. Corn. hic.

**Et omnia, quae desideraverunt oculi mei, non negavi eis.** Ecclā. 2. 10. q. d. pleinas oculorum, & cordis desiderijs laxavi habenas, intra limites tamen licitos honestatis, & Legis, nè quid illicitum committeret. Dico I. quam noxium sit suis indulgere desiderijs, & affectibus: his enim Salomon indulgens præcipitavit in luxuriam, & idololatriam. II. Quam periculofum sit, velle experiri, quidquid est licitum; nec terminos voluptatis sibi statuere, nisi in eo, quod illicitum est. Facile enim terminos hostes; & confinia liciti, & illiciti, utpote exiguum, & indivisibile, curiosus transgreditur; itaque in peccatum prolabitur, ut fecit Salomon. Sed, qui nihil vult cavere, nisi quod est peccatum mortale, venialia multa committit, per quae vicinus fit mortalibus; ac tandem in ea corrui. Corn. hic.

**Lassus adhuc sirit, & anima ejus vacua est.** II. 29. 8. *Foderunt sibi cisternas.* Jer. 2. 13. *In desiderio anima sua attraxit ventum amoris sui.* Jer. 2. 24. *Defecit anima ejus, & ad mortem usq. lassata est.* Judic. 16. 16. Dalila mala concupiscentia, ita eum afflixit. Desideria terrena animam, ut Samsonem Philisthai, affligunt. Joannes à Cruce c. 6.

**Cæcus si cæco &c.** Math. 18. 14. Appetitus cæcus est, quia non sequitur rationem. Id. ib. c. 8.

*Vinum non habent.* Jo. 2. 3. illico apud nuptias vinum deficit. 1. Cor. 7. 28. & si nupservis virgo, non peccavit, tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Escob. 1. 1. mir. Chr. l. 11.

### Ex Patribus, & aliis.

Hæc voluntas vaga, incerta, instabilis, impetita; infirma ad efficiendum, facilis ad audendum; inſcupiditatibus cœca, in honoribus tumida, curis anxia, ſuſpicionibus inquieta; gloriæ, quàm virtutum, avidior; famæ, quàm conſcientiæ, diligenter; & per omnem ſui experientiam, inferior fruendo his, quæ concupiverit, quàm carendo: nihil in ſuis habet viribus, niſi periculi facilitatem. Sancti. Ambroſius l. 1. de voc. Gent. c. 2.

Nunquam in carnalibus affectionibus ita quieſcit animus, ut cruciari careat; dum neceſſitates ſuas aut bonas amat, cum amittendi metu; aut malas odit, cum amittendi voto: in

utroque miſerij ſuſtinendis ſemper obnoxius. S. Paulinus ep. 39.

Ille demum verè divinus eſt Philoſophus, qui omni tempore pravis ſuis concupiſcentiis reſiſtit. S. Ephrem. ſerm. ad pietatem.

Impetus cupiditatum ab abjeçtiſſimis cogitationibus incipiunt, & formicarum more, ſenſim repunt. Paulatim autem in eam creſcunt magnitudinem; ut cuilibet non minùs, quàm leones, terrorem, ac periculum afferant. S. Nilus in aſcet.

Sicut ex magno incendio niger exhalatur fumus, quò oculi caligant, nec munus ſuum ritè poſſunt exercere; ſic ex cupiditatis incendio adeò obcœcatur ratio, ut pericula non advertat. Naxera in Joſ. 16. §. 3.

Vide plura tit. Paſſiones.

Deſperatio. Vide tit. Spes.

## TITULUS III. DETRACTIO.

§. I.

*Symbola, & ſimilitudines.*

*Ex Veteri.*

**I**nvenerunt campum in terra Sennaar. Gen. 11. 2. quod ex Hebræo, ſignificat, *excuffio dentium*: quia dentati, id eſt, ſuperbi homines ædiſcantes Babel, ibi ſuis dentibus, id eſt, ſua lingua, privati ſunt, inquit Rupertus. Et S. Greg. in Pl. 4. poenit: in Sennaar habitant dentati, qui detractioſum morſibus proximos laniant. Horum dentes excutit Deus; cum illorum facta, ſimul & verba confundit.

*Iuſer immunda reputabilis -- & ſus.* Levit. 11. 4. 5. Sus ſignificat illum, qui gaudet eſſe in luto, ut eſt Detraçtor; qui ſemper in luto, id eſt, in vitijs aliorum, immoratur. Hugo Card. hic.

*Diſcurrans lepra in cute.* Levit. 13. 12. eſt infamia falſa criminum; qualibus Chriſtus, & ſancti, aſperſi, ideoque afflicti ſunt. Hæc diſcurrit, quia nuſquam locum invenit, ubi verè ſtabiliatur. In candorem vertitur, id eſt, in laudem cognitâ rei veritate; ideoque lepra muſſiſſima cenſetur. Quippe per eam homo potiùs in patientia, meritis, & gloria creſcit; cum, ſine criminis perpetratoſe, criminis laborat ſuſpicioſe. Hinc dicitur de Chriſto. Il. 53. 4. *putavimus eum quaſi leproſum.* Cornel. hic.

Lepra Mariæ ſororis Moyſis infecti rebelles, murmuratoſes, detractores. Num. 12. 10.

*Vas, quod non habuerit operculum, -- immundum erit.* Num. 19. 15. Item aliquando comparantur ſcabronibus: quia deſerunt flores, & ſuper ſtercora reſident; id eſt, virtutes aliorum, & opera bona tacent; peccata lo-

quantur, & ruminant. Comparantur etiam ſepulchro Pfalm. 5. 12. *ſepulchrum patens eſt guttur eorum*: quia verba foetida proferunt, & denudant peccata aliorum. Hugo Card. in Pl. 5.

*Detractores ſunt dentes igniti.* Num. 21. 6. quorum morſibus multi de filijs Iſrael perierunt. Sed ſanatur plaga hujusmodi, ad reſpectum ſerpentis ænei; per quem Dominus in cruce ſignificatur: quem qui verè aſpiceret, quot, & quanta, propter nos opprobria, & contumelias ſuſtinuit, non curaret linguas detrahentium, dicens cum Apoſtolo 1. Corinth. 4. 3. *mihi pro minimo eſt.* Hugo Cardin. in Ecclæ. cap. 10.

*A flagello lingue abſconderis* Job 5. 21. Dicitur flagellum lingue Detraçtio graviter infamantis. S. Thomas hic.

*Dentes peccatorum contriviſſi.* Pl. 3. 8. id eſt, detrahentium verba mordentia: dentes enim dicti ſunt à demendo. Et ideo lingue detrahentium dentes vocantur; quia, ſicut illi abitum partes demunt; ita & iſti opinioniones hominum detractioſe corroduſt. Caſſiod. hic.

*Circumdederunt me canes multi.* Pfalm. 21. 17. id eſt, Judæi, per detractioſem oblatrantes, atque mordentes. Et poſſunt propriè Detractores rabidis canibus comparari. Ait enim Plinius l. 3. quod canis rabidus ut plurimum habet ſub lingua vermiculum quendam, qui linguam ejus pungit; & pungendo choleram magnam in cerebro ejus accendit; propter quod in furiam eum convertit. Sic etiam accidit homini Detraçtori; qui vermiculum, vel odij, vel invidiæ, aut rancoris, ſub lingua, id eſt, in corde, habet. S. Bernardinus t. 2. l. 29.

*Si ambulavero in medio umbrae mortis.* Pf. 22. 4. Nota quod inter omnes peccatores, proprie Detractores dicuntur umbrae mortis; quia similes sunt morti: mors enim nulli parcat; sed omnes aequaliter ferit: sic Detractores omnibus detrahunt. Hugo Card. hic.

*De viris sanguinum salva me.* Pf. 58. 3. Viri sanguinum sunt Detractores: quia alienum sanguinem, & carnes crudas, comedunt. Id. hic.

*Musca morientes perdunt suavitatem unguentii.* Ecclae 10. 1. Hebr. *musca mortis ferere faciunt oleum pigmentarii.* Muscis, imò omnibus insectis, oleum est lethale, teste Plinio l. 11. c. 19. & Galen. l. 2. de simpl. facult. c. 20. Cajet. sic exponit: sicut musca unguentum foedat, sic insipiens, puta Detractor, & calumniator, foedat nomen, & famam sapientis. Sicut enim muscae impurae impuris cadaveribus insident, sic Detractor non nisi alienis occupatur. Corn. hic. Vilis res est musca moriens, sed exterminat oleum suavitatis. Tenerum membrum lingua; attamen vix teneri potest: substantia quidem infirmum, atque exiguum; sed usu magnum, & validum invenitur: modicum membrum est; sed, nisi caveas, magnum mallum. S. Bern. de triplici custodia. Musca in pomo, non sanum, sed putrefactum mordet; sic Detractor licet in proximo multas virtutes videat: si tamen minimum in eo defectum advertit, illum rostro suo compungit. Diez D. 2. Quadr.

*Si mordeat serpens in occulto silentio; nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.* Ecclae 10. 11. S. Hier. Serpens, & Detractor, aequales sunt: quomodo enim ille, mordens occulte, venenum inferit; sic ille clam detrahens, virus pectoris sui infundit in fratrem; & nihil habet à serpente amplius. Detractor ergo est serpens I. quia sicut serpens abscondite venena infundit; & cum advertit, invenit te ab illo percussum, & veneni pestiferi violentiam laviatum; sic Detractorem admittens, & fratris peccata, aut defectus, audiens; subito amorem, quem erga illum habebas, aut vulneratum, aut penitus exhaustum, invenies. II. Morsus serpentis non unam, sed multas plagas, morsu suo infligit homini: quia venenum ejus per omnia membra serpit, eaque inficit, & cruciat: & Detractor suam maledicentiam fratrem laedit, pacem turbat, charitatem dissipat, audientes scandalizat. III. Serpentis lingua est trifurca, ait Plin. l. 11. c. 37. unde mordendo tria vulnera infligit: sicut & lingua Detractoris, detrahentis conscientiam peccato lethali vulnerat; famam proximi fauciat; & audientium aures, mentemque malevolentiam suam inficit. IV. Aspidis morsus est lenis, ut vix sentiat, velut punctum actus, sine tumore; virus tamen ejus illico ad sanguinem, & viscera, illico pervadit. Unde Cleopatra aspidis morsu se occidit, ut suavissimè moreretur; nè cum Antonio marito à Caesare Augusto duceretur in triumphum. Sic Detractoris sermones lenes sunt: simulat enim, asseritque se, non ex odio, sed amore, & studio emendandi, vitia proximi recensere. Corn. hic.

*Leo factus est; didicit rapere praedam hominem comedere.* Ezech. 19. 3. Detractores assimilantur canibus macellatorum; qui, licet multae carnes bonae resideant in macello, nihil tamen de illis capiunt, vel asportant; nisi aliquid foetidum, vel immundum, aut aliquod os. De hujusmodi genere esse solent plurimi Saeculares: qui cum Religiosis, vel Sacerdotibus, vel alijs servis Dei, conversantes, nihil exempli boni (licet multa videant) ex eis asportant: sed si quid fragilitatis conspexerint, aut otiosum verbum, vel risum; inde scandalizati recedunt, illud perpetuam memoriam retinentes. Detractor vorax est, imò crudelissimus: quia devorat amplius, quam Infernus: Infernus enim devorat solum malos; Detractor autem malos, & bonos. S. Bern. t. 1. Artic. 2. de Detractore.

*Percussit statuam in pedibus ejus fictilibus.* Dan. 2. 34. In statua Nabuchodonosori ostensa erat aurum, argentum & aes; in pedibus vero partem habebat fictilem. Et decidens lapis non aurum, aut argentum, aut aes, percussit; sed fictilem partem contrivit; & ita tota statua comminuta est. Habet proximus aurum charitatis, argentum sapientiae, aes optima famae; & tamen, cum homo sit, habet aliquam partem fictilem, defectum; & impingit Detractor, nec virtutes attingit; sed parum lutum, illud confrangit, ut pulcherrimam illam statuam prosterneat. Diez D. 2. Quadr.

*Es ecce bestia alia similis urso sterit.* Dan. 7. 5. Detractor significatur per hanc bestiam: ursus enim habet os amplum, & multum vorax animal est: sic ipsi Detractores. Et dicitur de illa bestia, quod tres ordines erant in ore ejus, & in dentibus ejus. Ita Detractio in tribus est: quia Detractor mala opera diffamat bonis apertis derogat, dubia male interpretatur. Hugo Card. in Pf. 22.

*Quia sicut spina &c.* Nahum 1. 10. Convivae vocantur spinae: quia saepius abentes suam maledicentiam, convitijs, & scommatibus, pungunt, & laceraunt. Corn. hic.

### Ex Novo.

*Habebat demonium jam temporibus multis.* Luc. 8. 27. Cum caetera vitia habeant unum demonem in praelatum; sola crudelitas Detractoris à multis demonibus possidetur. In cujus mysterium daemonicus ille, qui morabatur in monumentis; quia sepulchrum est guttur eorum, legionem demonum in se habuisse refertur. S. Bernardinus t. 1. f. 23.

*Vidi equos in visione &c.* Apoc. 9. 17. &c. Quanta sit nequitia Detractorum, hic mystice demonstratur. Id. ib. f. 23.

*Ecce draco magnus, rufus, habens capita septem, & cornua decem, & cauda ejus traherat tertiam partem stellarum caeli, & misit eas in terram.* Apoc. 12. 3. 4. Homo iracundus, qui proximo suo sonvitiatur, qui ejus famam obscurat; draconi similis est: cujus lingua instar caudae draconis; quid.

quidquid in proximo illustre, virtuosum, & velut sidereum est, palam subinde, sapius clam, & in occulto, flagellat; & ex alto existimationis caelo in terram detrahit: ut non amplius credatur talis esse, qualis vel erat, vel apparebat: neque id uno modo molitur, sed vario, uti observat S. Bernardus. 2. serm. 29. a. 2. c. 7. Detrahitio est, secreta bona occultare, occulta bona denigrare, bona in mala convertere, bonis mala miscere; occulta mala manifestare, audita mala augmentare, atque crimina falsa imponere: quae sunt septem draconis, id est, Detrahitiois capita. Quoties iminuta uno verbo laus viri boni, illum ex alto bonae famae detrahit in terram; ut nunquam amplius ad pristinum honorem resurgeret. Hoc est, quod dicebat David: Ps. 72. 9. *posuerunt in caelum os suum; iniquitatem in excessu locuti sunt.* Schönleben p. 2. Discursu 7. D. 5. post Pent.

### Ex Patribus, & aliis.

Detrahitio grave vitium est, grave peccatum est. Canum mos est lacerare; canum, dente pestiferò mordere, soli canes oblatrare noverunt. S. Ihd. l. 2. Synon. vel Soliloq. c. 9.

Pessima vulpes occultus detrahit; sed non minus nequam adulator blandus. Sanct. Bernard. l. 63. in Cant.

Est Detrahitio mortifera sagitta, emissà de pharetra Sathanæ ad perdendas animas. Sanct. Laur. Just. de disc. monast. c. 22.

Non nisi, quod foedum est, foedat; & quod immundum est, contaminat. S. Cyrill. in Apolog. c. 29.

Detrahitores Deo odibiles. Ipsi proprie advocati sunt diaboli. Hugo Carens. in c. 24. Prov. Detrahitio est coquis diaboli. Id. in c. 6. Prov.

Inter cetera peccata, Detrahitio est inhumanus, & bestialius, quia lupinum: nam bestia bestiam ejusdem speciei non comedit; sola lupà exceptà, quae, ut ajunt, cum fame premitur, lupum comedit. Sic Detrahitio homo hominem suae naturae confortem, tanquam lupa rapacissima, dentibus detrahitiois rodere, & comedere, & occidere, non erubescit. In hoc à lupa differens, quòd illa comedit carnes recentes; ipse autem quandoque carnes foetentes, etiam putrefactas: quando videlicet non tantum vivis, sed & dudum mortuis, dentes infigit. Gerson in responsoriis ad quasdam quaest.

Qui sordes totius urbis evehunt, vilissimi in bene morata civitate habentur. Ità Christiani periplèma habendi sunt, qui temerè suspicantes domos alienas converrunt, omniumque naribus exponunt. Bessèus tom. 2. D. 1. post Pent.

Prùsquàm Camelus bibat, turbat aquam; nè in ea corporis sui feeditatem videat. Ità mali turbant splendorem virtutum bonorum, honorem eorum obscurantes; nè in iis vitia sua videant. Stella p. 1. c. 77.

*Polyanthe. Sacr. Tom. 1.*

Ut gallina, dum rostro pavimentum domus sordibus inquinatum scrutatur, escam quaerens; si adamantem, aut Smaragdum reperit, rejicit; si autem vermiculum, aut vile milii granum, illud læta eligit, & accipit: sic Detrahitio & Detrahitio.

Proprium stultitiæ est, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum. Cicero. l. 3. Tusc. q. 9.

### §. II.

### Motiva vitium Detrahitiois fugiendi.

#### Motiv. I.

*Quia grave, & crudele est vitium.*

#### Ex Veteri.

**DE fructu lignorum, quae sunt in paradiso, vescimur &c.** Gen. 3. 2. Lippoman: Eva non se tam gratam ostendebat pro tot, tantisque concessis in paradiso fructibus; quam querulam, & impatientem, de uno negato se ostendebat. apud Niss. f. 4. D. 3. Quadr. §. 4.

**Non maledices surdo.** Levit. 19. 14. Quare? an forsitan surdi speciali gaudent privilegio; ut lascos quidem, mulos, balbos, impunè liceat calumniari? non itèm surdos? haud: charitas enim omnes, sine discrimine personarum, complectitur. Prov. 10. 12. *universa delicta operis charitas.* Voluit tamen Deus, ex mente Interpretum, singularem curam surdorum haberi: quia turpe nimis, & inhumanum, videtur; illum lacerare verbis, qui, cum audire eos non possit, innocentiam suam tuendi modum non habet. S. Greg. 3. past. surdo maledicere, est absenti, & non audienti, derogare. Segneri fer. 3. D. 3. Quadr.

**Cum recessissem ab eis, detrahebant mihi.** Job 19. 18. Iniquissimum planè factum: si enim defectibus scater frater vester; ei & palam, & in faciem, exprobrare: ut quondam Davidi Nathan, Jeroamo Achias, Baptistæ Herodi. Dum autem absentem roditis, vecordis instar canis lupum jam fugà lapsum, & in antro tutum, allatrat. Id. ib.

**Qui devorat plebem meam sicut escam panis.** Ps. 13. 4. Cur non sicut vitulos, gallinas, perdices, pisces? quia sicut panis, cibus quotidianus. Lorinus: ciborum aliorum partes relinquuntur, ut ossa, spinae, putamina, nuclei; panis sumitur totus. Sylveira. in Matth. 13. q. 4.

**Impij quasi mare fervens.** Il. 57. 20. *quod quiescere non potest.* Hector Piræus: ut mare propellit in litus limum, spumas, & alias spurcicias; & ut se purget litus coinquinat: sic impius, ut se laudet, alios vituperat; ut se defendat, alijs vitiorum notam inurit; eorumque splendorem maculare contendit. Apud Niss. f. 4. Dom. 3. Quadr. §. 3.

*Ex Patribus, & alijs.*

Grande vitium est, detrudere fratribus, tacere non posse; circuire cellas, alijs detrudere. Ego peccator sum, iste peccator est. Quid ad te? te ipsum considera, ne cadas. Quid in alterius ruina exultas? nunquid, si ego cecidero, tu stabis? licet ruina mea sit; ruina fratris timor tuus esse debet, non exultatio. S. Her. in Pl. 149.

Grave malum est detractio, turbulentus daemon, nec unquam peccatum hominem reddens. Quodnam enim mali genus est, quod non à detractioe oriatur? S. Chryl. in Pl. 100. 5.

Minus malum est, manducare carnes in Quadragesima, quam carnes comedere fratrum suorum. S. Bonav. l. 81. de tempore.

Carnem edere, & vinum bibere, melius est, quam in detractioe carnes proximi sui vorare. S. Ephrem Paræn. 1.

Gladius anceps, imo triceps, est lingua DetraCTORIS. Nec verò ejusmodi lingua, ipsò, etiam mucrone, quò Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, & membrum de membro. Nec jam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsi quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit; seu etiam clavis ferreis, quos sacratissimis manibus illis, & pedibus, consummatio Judaicæ iniquitatis infixit. Sanct. Bernard. l. de triplici custodia.

Detractio spirituale homicidium est: quod enim in corpore materialis agit gladius, hoc in anima detrahentium perficit lingua. S. Laur. Just. l. de vita solit. c. 4.

Leo leoni parcat, lupus lupum non comedit, & quasi omnes feræ crudeles alijs feris generis sui parcent; solus autem DetraCTOR similes sibi fatagit devorare. Sanct. Bernardinus l. 29.

## Motiv. II.

*DetraCTOR ipse sibi nocet.*

*A detractioe parcat lingua.* Sap. 1. 11. Parcere, etiam significat misereri; unde aliqui vertunt: miseratione tangimini linguæ; ne eam temerari patiamini detractioe, & obligari flammis; uti contigit diviti epuloni. Luc. 16. 24.

*Dedi in aurem super os tuum.* Ezech. 16. 12. Inauris aurium ornamentum est, non labiorum. Cur ergo in aure non aures, sed labia ornantur? Ut scias, illud fore in auribus, quod fuerit in labijs; nam, ut ait Terentius in Eunucho: Si male dixeris, pejus audies. Naxera in Jos. 6. § 17.

*Quare Discipuli sui transgrediuntur traditionem seniorum?* Math. 15. 2. Sed quid referunt responsi? *quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* v. 3.

A charitate excisum se fatetur, qui detractionibus assuetus est. S. Laur. Just. de Disc. Monast. c. 13.

## Motiv. III.

*Pæna DetraCTORUM.*

Illi omnes, qui Moysis famam læserant, ab infesto aspidum exercitu obruti sunt. Num. 21. 5. 6. Dathan, Core, & Abiron, Moysis contemptores, à terra ablopti sunt. Num. 16. 3. 31.

Time Dominionum, fili mi, & cum detractoribus non commiscearis: quoniam repente consurgit perditio eorum Prov. 24. 21. 22.

Qui Judæ Machabæo temeritate summâ detraxit, verba ipsi summis in labris imperfecta hæserunt; & subito tactus apoplexiâ obmutuit simul, & expiravit. 1. Mach. 9. 55.

DetraCTORI Malachia intumuit, & computruit lingua, verbibus scætantibus ex ea. S. Bern. in vita S. Malachia Ep.

## Motiv. IV.

*Difficilis samæ restitutio.*

*Projeceruntque singuli virgas suas.* Ex. 7. 12. Orig. hom. 13. in 2. Num. non poterat virtus daemonica malum, quod ex bono fecerat, restituere in bonum. Porrit ex virga serpentem facere; virgam autem reddere ex serpente non potuit. Idipsum vobis accidit, o maledici, & detractores: efficietis quidem, ut proximus vester alijs sit horrori, & serpenti similis videatur; sed quâ ratione priorem illi gratiam, & formam restituetis? Facile vobis erit, homini pudico lascivi nomen inurere; sed quâ arte hanc maculam eluetis? Facile erit vobis, ut qui devotus est, credatur hypocrita; sed quid ageris, ut ex hypocrita genuo religiosus videatur? O quam raro ad unguem, ex rigore justitiæ, fama restitutio præstat! Segneri f. 19. fer. 4. Dom. 3. Quadr.

Leni susurrò, pauculis verbis, mala opinio de aliquo, velut clavus in asserem adigitur. Visne hunc iterum extractum? vix ullâ vi hoc efficies. Contra serpentis citus, est serpentis pulvis; contra scorpionis aculeum, est scorpionis oleum; contra rabidi canis mortum, sunt pillicanum. At qui læsi sunt linguâ obtræctoris, ab eadem difficulter, nec nisi imperfectè, aut nunquam curabuntur: quamvis hæc ipsa lingua medelam ipsis debeat; quibus malum hoc intulit. Drexel. Orb. Phaet. cap. 15. §. 4.

Sicut, si in albam papyrum atramentum incidit, licet diligenter radatur, semper tamen remanet aliqua macula; sic infamia difficillimè tota eraditur, quin adhareat aliqua macula. Diez. conc. 2. D. 18. Pent.

Facile est sigillum solvere; in integrum verò restituere, ne signaculi appareat fractio, difficillimum est. Hugo Car. in c. 6. Prov.

Convenit verbo prolato cum projecto lapide: qui lapidem arripit, potest eum retinere, aut projicere; at, postquam semel violentè projecit, sistere illum, aut moderari amplius, non potest. Ità verbum labijs contineri potest; at semel emissum revocare intro non licet. Did. Niss. Phœn. Græc. l. 8. cap. 5.

§. III.

*Errata aliena cela.*

Num. I.

*Figuræ, & Symbola.*

**T**erra erat inanis, & vacua; & tenebra erans super faciem abyssi; & spiritus Dei ferebatur super aquas. Gen. 1. 2. Quàm proprium Numini, terræ vacuitatem, abyssi tenebras, operiri! Efcob. t. 6. parab. Chr. Obl. 6.

*Vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix.* Math. 17. 2. Quem cum tali amictu Pater ornatum videret, statim inclamat: *hic est filius meus dilectus* v. 5. Petrus Berchorius: nix omnia immunda non solum cooperit, sed pulchra etiã apparere facit. apud Did. Niss. vit. Abraham. l. 7. c. 7.

*Cito proferte stolam primam.* Luc. 15. 22. Prima Patri cura de nuditate filij tegenda: fames non erat ei ignominiosa, sed nuditas. Paletti D. 8. Pent. Antè vestiri voluit filium, quàm videri: ut soli Patri nota esset nuditas. S. Chrysol. l. 3.

Num. II.

*Exempla**Ex Veteri.*

Defectus, quos corrigere nemo potest, non prode. Causam lapsus primi hominis factis clarè dixit Moyses Gen. 3. Angelorum ruinam, causamque ruinæ, tacuit. de Castillo II. lat. 204.

Incautus Joseph nè verbum pro se loquitur, nec mulierem de mendacio arguit: quia erat domina ejus, ideo tacet culpam; eligens mortem suam præ dominæ infamia. Sylveira in Apoc. cap. 3. q. 4. Mavult talia sustinere, quàm peccatum ejus detegere. Oleaster hic.

*Furti sublatum sum.* Gen. 40. 15. Theodoret. l. 8. de provid. nec ipsa necessitate jubente fratrum malitiam detegit, sed furti prætextum infert: & ingenitò sibi pudore ipse regit injulitiam. Inter cœtera nota, quod est valde mirabile: quòd in 23. annis, quibus Joseph in Ægypto fuit, inficiò patri; nunquam per literas, aut nuntios, aliquid patri de se significavit; etiã ex quo per novem annos fuerat sublimatus à Pharaone super totam terram; cum tamen bene sciret mœstitiam patris. Per hoc detulit reverentiam fratrum suorum in eo, quòd noluit etiã prodere crimen eorum. Sanct. Thom. in c. 42. Gen.

*Polyamb. Sacr. Tom. I.*

Joseph ad colloquium fratres recepturus, præcepit, ut egredierentur cuncti foras. Gen. 45. 1. Cur? Rupertus l. 9. in c. 11 Gen. non alienis communicanda erat domesticæ notitia sceleris. Quando fratres recognovit, vocem extulit, etiã ab ijs, qui foris erant: auditam v. 2. 3. elevavit vocem cum fletu: cum autem proditores declaravit, propius accedere jussit. v. 4. *accedite ad me*, &c. ubi Lyr. istud volebat eis dicere submissè, & ideo fecit eos propè venire; nè Ægyptij audirent prodicionem, quam fecerant, & sic eos despicerent.

Cum Dominus argueret Aaron, & Mariam, murmurantes in Moysem, eos ad tabernaculum seorsim vocavit cum fratre. Num. 12. 1. 5.

*Nolite annuntiare in Geth. &c.* 2. Reg. 1. 20. Publicus exlicit casus; David tamen severè prohibet illud vulgari civitatibus Philistinorum. Quantò magis secreta, & occulta, operienda. Sylveira in act. 5. q. 10.

Num. III.

*Exempla**Ex Novo.***CHRISTUS Dominus.**

*Tenebra facta sunt super universam terram.* Matth. 27. 45. Ut Deus Christi carnis tegeret, & à turpi nota vindicaret, tenebras toto offundit celo. Velloso in Judith 5. Parænet. 5.

*Homo quidam dives.* Luc. 16. 19. Narratio, & historia, magis videtur, quam parabola; quando etiã nomen exprimitur. Ità S. Greg. hom. 40. in Evang. Irenæus, Tertull. Barradius: nominatur Abraham, Lazarus, Moyses; ergo res verè gesta est. Ais, Christum nomen divitis tacuisse, tacet: quia damnatus erat; nolebátque manifestum esse, quisnam esset? Efcobar t. 6. parab. Chr. Sect. 1. §. 1.

Christus cum Samaritana locutus, Discipulos in civitatem mittit. Cur omnes? Salmeron tomo 4. tr. 20. ut pudori ejus solitudine consultum esset. Joan. 4. 8.

Christus in cœna dicturus: *unus ex vobis eradet me; turbatus est spiritu.* Jo. 13. 21. S. Aug. tr. 60. in Jo. hincne turbatus est Jesus, non carne, sed spiritu, quia dicturus erat: *unus ex vobis &c.* an quia jam fuerat expressurus, ut non lateret in cœteris, & discernetur à cœteris, ideo turbatus est spiritu. Quando in agonia positus erat, dicebat: *spiritus quidè impromptus, caro autem infirma* Matth. 26. 41. Caro imbecillis turbatur ad passionem, spiritus erat intrepidus. Sed dum peccati, quòd Judas meditabatur, sola etiã quadam indicia daturus erat; turbatus est, non carne, sed spiritu. Did. Niss. in Phœnic. l. 2. cap. 9.

Iii

Hoc

*Hoc autem nemo sicut disumbentium.* Jo. 13. 28. Manifestatus fuerat à Domino proditor Joanni; ipse verò adeò siluit, ut vel JESU loquente ad Judam, nihil indigicaret, quò nequam hominem cognoscerent Discipuli. Baeza l. 3. §. 4.

*Si me queritis, finite hos abire.* Jo. 18. 9. Abire jubet, nè fugientium timiditas notaretur. Mendoza in 1. Reg. 3.

*Pontifex interrogavit JESUM de Discipulis suis, & de doctrina.* Joan. 18. 19. JESUS dissimulans ad interrogationem de Discipulis respondere (fugerant enim à se omnes; unus ipsum in mortem proditor tradiderat) ideo ad secundam solum interrogationem de doctrina responderat. Paolettus D. 8. Pent.

*Et Angelo Ecclesie Sardis scribi.* Apoc. 3. 1. Cur nec nomen hujus Episcopi, nec crimen certum exprimitur? Rupertus hic: rectè uti debuit Filius Dei spiritu consilij, id est, non publicè descriptione, qualitatem, vel nomen declarare, operis mortiferi, secundum regulam Evangelicam, quam ipse præscripsit: *Si peccaverit in te frater tuus.* Obscurum manet, quis fuerit tam tepidus pastor. Sylveira in Apoc. 3. 14.

## Num. IV.

*Evangelista celant, & alij Sancti.*

Matthæus 1. 6. de Bethsabee adultera, cum non conflet egisse penitentiam, nomen ejus non exprimit, de Castillo llat. 204.

Joseph, alias faber, vocatur filius David. Ob silentium meretur hunc honorem; cum taceret suam suspensionem de B. V. *Cum esset iustus, & nollet eam traducere.* Matth. 1. 19. Velloso in Judith. 5. Parænet. 5.

*Adolescens autem quidam.* Marci 14. 51. Accusans eum de turpi fuga, rectè, pie, amicè, nomen tacet. Velloso in Judith. 5. Parænet. 5.

Cur dicitur Deipara Luc. 1. 31. *concepit, & paries?* cum de Baptista dicatur solum Luc. 1. 13. *uxor tua pariet tibi filium.* Partus solus, non conceptus, nuntiatur. Iusti, quod bonum est, publicant; malum occultant. Nativitatis Christi, & Joannis, ut sancta ab Angelo annuntiatur; ac conceptio Christi ut Deo grata, ab Angelo dicitur; conceptio verò Joannis, ut in peccato, taceatur. Sylv. hic.

*Vidit publicanum nomine Levi sedentem ad telonium.* Luc. 5. 27. Lucas sicut tacuit nomen usitatum Matthæi, describendo ipsum publicanum; ita modò tacet nomen Mariae, describendo eam peccatricem. Paolettus D. 8. Pent.

*Mulier, qua erat in civitate peccatrix.* Luc. 7. 37. Hujus mulieris nomen tace-

tur, propter honorem mulieris, quia peccatrix describitur. Cajetanus.

*Angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & movebatur aqua.* Jo. 5. 4. Turbat Angelus aquam, nè languentium vulnerum turpitudine appareret. Sanct. Chryl.

*Maria, qua unxit Dominum unguento.* Jo. 11. 2. Evangelista non recenset peccatam Magdalenam, sed virtutem: ut nos doceat, cum de absentibus loquimur; non eorum vitia, sed virtutes, in medium proferendas. Appelles, cum Antigonum facie pulcherrimum vellet depingere, sed coclitem; semivultum illum depinxit, ita ut defectus ejus non appareret. Interrogatus, cur regem cum defectu suo non depingeret? respondit: si sine illò depingere possum, cur eum illi appingam? Dier fer. 6. D. 4. Quadr.

*Uxor ipsius nesciens.* Act. 5. 7. Cur spatium trium horarum nemo nuntiavit Saphiræ mortem sui mariti? Tantum de malo domestico erat silentium, licet in Auditorum oculis res peracta fuerit; inter cancellos tamen domesticos clausa est; ita ut nefas quisque duxerit illud publicare. Sylveira hic quaest. 10.

Cur Ananias non dicit Paulo Act. 9. 17. *Dominus, qui te obcecavit, sed, qui apparuit tibi?* Occumenius: ut improprium declinaret.

Lucas c. 6. 15. 16. recensens Apostolos, virtutem unius recenset, vitium alterius tacet. Et Simonem, qui vocatur Zelotes, & Judam Jacobi, & Judam Iscariotem. Simonem à bono zelo honoris Dei, & animarum nominat; Judæ proditoris patriam solum, non vitium, indicat. Illud de animi sui virtute nuncupavit, ait Chryl. hom. de Juda, istius malitiae nomen abscondit. Et ideo non dixit Judas proditor; ut te deceat, detractiones nescire, & accusationes declinare. Aristot. 5. 10. problem. n. 52. partes infirmiores natura semper integere consuevit. Did. Nisf. l. 7. vit. Abrah. c. 7.

## Num. V.

*Detractores non audi; ostende displicere.*

*Dederunt ei omnes deos alienos, & inanes.* Gen. 35. 4. Ascensurus Jacob in Bethel, exigit à familia sua ea, quem verum Deum offendere possent; idola, & simulacra; sed & inanes, quas patriò ritu gestabant.

Cur & has petit? quia, juxta Ambr. l. de Jacob, c. 7. genus est idololatriæ, benignè excipere detrahentem, ei arridere, applaudere. Pinna in Ecclesiasticum. Ethol. 144.

*Opprobrium non accipit adversus proximos suos.* Pl. 14. 3. Hug. Card. id est, detractor deductus est ad nihil, quia non audet detrachere coram ipso, qui non accipit opprobrium dictum de proximo suo. q. d. non passus est, ut

ut quisquam se præfente ulli detraheret. Unde cessaverunt omnes à detractione. Quis enim alium carperet, nisi benignè ejus dicta exciperentur? Id. ibid.

*Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequeris.* Pl. 100. 5. Doctrinam pulchram hinc discamus: nempe ut nemini detrahamus; sed nè detractioni quidem aurem præbeamus. S. Chryf. hic.

*Ventus aquilo dissipat pluvias; & facies iratis linguam detrahentem.* Prov. 25. 23. Hugo Card. ex Hier. Si non est auditor, deest detraçtor. Si vultu hilari audieris detrahentem, tu ei das fomitem detrahendi: ille ignem excutit, tu subfemis ignarium. Quod si facie subtristi, & aversa, detraçtorem audias; discet ille non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri. S. Hier. ad Celant. ep. 14.

*Sepi aurem tuam spinis; linguam nequam noli audire, & ori tuo facio ostia, & feras.* Eccli. 28. 28. Ori ostia, & feras; auribus autem sepe spinarum, apponi præcipit. Discrimen est: quia porta domum claudit; & eos, qui foris sunt, arceat ab ingressu: at sepes spinarum non modò arceat, sed tentantis ingressum pungit, & lacerat. Qui linguam moderatur, satis est, si ostia ori ponat, nè verba disfluant; at qui aures instruit, non modò caveat audire; verum, si quis eò præfente alium carpat, pungat, lancinet. S. Aug. lib. de Discipl. Christ. sepi aurem tuam spinis; ut ille, qui intrare importunè ausus fuerit, non solum repellatur, sed etiam compungatur. Pinna hic.

*Cum audisset (Joannes) in vinculis opera Christi.* Matth. 11. 2. Cur dicitur Joannes in vinculis audisse opera Christi, non verò turpia facta Herodis, cum sæpius in carcere superiorum crimina referantur? magnæ prudentiæ est, illis aurem præbere, quibus & remedium præstare potes. Joannes, priusquam mitteretur in carcerem, crimina Herodis audiebat, & arguebat, ut corrigeretur: vinculus ea audire non vult; cum illis remedium adhibere prohibeatur. Sylv. hic q. 3.

Non solum maledicentes, sed & aliis detrahentes, moneo, aures obstruere. Dic proximo: habes aliquem, quem laudes, & commendes? aures aperio, ut unguenta suscipiam. Si verò malè velis dicere, verbis ingressum obturo: non enim steruus & cœnum, accipere sustineo. Quòd mihi lucrum, si didicero, quòd ille improbus? maximum igitur nocumentum ex hoc, &c. S. Chryf. tom. 5. hom. 3. ad pop. Antioch.

Detrahente, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim. S. Bern. l. 2. de considerat.

## §. IV.

*Detrahenti resistè, obloquerè.*

*Devoravit virga Aaron virgas eorum.* Ex. 7. 12. Qui detractiones audit, sit lingua ejus, sicut virga Aaron; quæ devoravit virgam Magorum, compescat linguas detraçtorum. Dicit historia Scholastica, quòd magorum serpentes veri non fuerint, sed per præstigias tales fecerint apparere; ità detraçtores faciunt bonos

apparere serpentes, & malos. Summa Prædic. Detraçtio.

*Conterebam molas iniqui.* Job. 29. 17. id est, detraçtorum, & de dentibus illius auferbam prædam. S. Bernardinus t. 1. l. 23. Artic. 3.

*Quid exiitis in desertum videre?* Matth. 11. 7. Hòc suò exemplo docet Christus: quòd, quando alicujus honor, & fama, periclitatur, audenter debemus pro illo loqui, ejus virtutes proferre; ut detraçtores compescantur. Sylveira hic. q. 18.

Sæpe suspenderunt morsus suos revocante sonò vocis humanæ. Videmus innoxio canum dente lepores sine vulnere capi; leones quoque ipsos, si vox hominis resulaverit, prædam dimittere: pardos, atque urfos, incitari, ac revocari, vocibus; similiter equos. Ità vehementius illos incitat linguæ flagellum. S. Ambr. ep. 38. de feris.

Qui non repellit injuriam à socio; si potest, tam est in vitio, quàm ille, qui facit. S. Ambr. offic. l. 1. c. 36.

Rapacitatem non putas, si pecunia parcis, famam decerpis? non concupiscis possessionem, & laceras opinionem? non audes corrodere; non tamen potes collaudare. Jam alienum bonum verbò non carpis; nunquid ideo non rapis? Quomodo non rapacitas? ubi evidens bonum debitò defraudas testimonio; & veram alterius gloriam, etsi mendaciò non corrupis, silentio tamen supprimis? Gilbert. l. 19. in Cant.

## §. V.

*Delicta ei pandenda, qui potest corrigere.*

*Joseph accusavit fratres apud patrem crimine pessimo.* Gen. 37. 2.

*Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi.* Num. 11. 14. Per quadraginta annos, quibus Moyses fuit cum populo in deserto; nec cum fratre suo, nec cum Josue, nec cum uxore, conquestus est illud; sed solum ad DEum refert: quia ipse solus poterat mederi. Sylveira in Matth. 13. c. 31. q. 2.

*Videntur mihi sermones tui justis & bonis; sed non est, qui te audiat, constitutus à Rege.* 2. Reg. 15. 3. Sed quis faciliorem aditum ad regem habuit, quàm filius? cur ergo hæc patri non dicis; sed particularibus personis? Id. ib.

*Zelus zelatum sum.* 3. Reg. 19. 14. Elias non Angelo, sed DEO conqueritur: quia solus DEus poterat illis sceleribus remedium adhibere. Id. in Jo. 2. q. 15.

*Nonne bonum semen seminasti.* Matth. 13. 27. Ad patres familias accurrunt servi seduli ubi messem Zizaniis infertant reperiunt. Oleast adverte non esse mala, quæ vides, vicinis, aut amicis, denuntianda; sed iis, qui possunt ea emendare. Sunt enim nonnulli, qui mala, quæ de proximis sciunt, prius per totam viciniam divulgant; quàm dicant patri, aut domino illius, qui malè operatur.

*Domine soror mea reliquit me solum ministrare.* Luc. 10. 40. Aderat Lazarus, discipuli, ministræ Marthæ; non tamen his proponit

querimoniam, sed solum Christo: prudentia enim est, illi tantum miseriam aperire, qui & congruum valet adhibere remedium. Sylveira hic q. 9.

*Et ecce quidam homo hydropicus erat ante illum.* Luc. 14. 2. Constituitur ante Jesum, non alios convivas: quia ille solus poterat mederi.

*Vinum non habent.* Jo. 2. 3. Cur B. Virgo vini defectum soli Christo manifestat? quia eximia ejus charitas amicorum defectum occultari volebat; & ideo non invitantibus, non ministris, pauperibus; sed Filio soli proponit: ille enim solus poterat juvare. Sylveira hic q. 15.

## §. VI.

*Detractionum origo, & radix.*

*Qui reddat mala pro bonis;* Prov. 17. 13. Sicut lapides molares, si non habent, quod molant, rotatu suo se ita allidunt, ut ex iis, velut ex silice ignis elicitur, qui ingens excitat incendium. Sic lingua in familiaribus colloquiis, cum deest aliqua utilis materia, quam molat; ad proximorum detractiones, & contentiones, se vertit, ignemque discordiarum excitat. Cornelius hic.

Qui aliorum vitia libenter ex more carpit, peccati maculam non evadet: quia, licet Zelò justitiæ ferveat, aliquando necesse est, ut in laqueos detractionis impingat. Planè, nisi multum nobis nostra vita splenderet, non tantoperè nostris oculis aliena conversatio displiceret. Si districti circa nos essemus, ut dignum est, judices, non tam rigidos experiretur aliena vita censores. B. Petr. Dam. l. 6. ep. 30.

Detractio est proles odii; pinguis, & occulta, ac latens sanguifuga; quæ charitatis omnem consumit, ac demolitur, sanguinem. Jo. Climac. gradu 10. de detract.

Tria radicalia peccata sunt, ex quibus Detractio generatur. I. Est crudelis superbia. II. Crudelis stultitia. III. Crudelis invidia. S. Bernardinus t. 1. f. 23.

Servi expectantes Dominos suos, cum non habent, quò occupentur; accipiunt carbonem, & albos parietes inficiunt. Sic maleferiati, cum non habent aliud, quod loquantur; carbone maledictæ suæ linguæ albos parietes inficiunt. Sed sicut illi atri pictores manus proprias denigrant; sic hi animas suas. Diez. ser. 3. D. Pass.

## §. VII.

*Motiva**Detractiones patienter ferendi.*

*Si dormitis inter medios clericos &c.* Pf. 67. 14. Hebr. *Si dormitis inter medios tri-*

*podas, & ollas;* ex quarum contactu denigrati aliquantum fueritis: scitote tamen, quòd tunc estis magis formosi, sicut columbæ, quæ argentatas, & candidas habent pennas; quibus ad cœlestia volent: & dorfum, quò ipsas tribulationes pertulistis, erit fulgenti charitatis aurò splendendum. De Ponte in Cant. 1. Exhort. 22. §. 1.

*Destrahant mihi; ego autem orabam.* Pf. 108. 4.

*Quid desur tibi? aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* Pf. 119. 3. hoc est, juxta expositionem S. Aug. & Euthymii, quod tibi dabimus antidotum? quæ te consolatione reficiemus? cum te videris vulneratum linguâ dolosâ? *Sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoris.* Hæc tibi sit consolatio, quia jam pacata sunt sagittæ Dei ad judicium venturi, honoremque tuum defensuri. Osorius D. 1. Advent.


*Et dixerint omne malum adversus vos mentientes.* Matth. 5. 11. Laudat eos Christus D. qui patienter detractiones ferunt. Neque hoc satis; sed addit, *mentientes:* id est, ut ea, quæ nobis imponunt, longè absint à nobis. Pinna in Eccli 13. Ethol. 244.

*Si patrem familias Belzebul vocaverunt.* Matth. 10. 25. Quis curet calumniatorum verba: nam ab eorum ore nihil non spurcum, & foetidum, novit exire; cur ergo à stibulo conspurcari offenderis? Seneca l. 4. ep. 92. quanta dementia est, vereri, nè infamemur ab infamibus. Quòd stibulum mittat à se stercus, nemo agrè fert; nec in sterquilinum quis iratus est, quòd foetorem emittat. Bæza t. 3. l. 14. §. 5.

Quoniam quantalibet humana cautela suspiciones malevolentissimas non potest omni ex parte vitare, ubi pro existimatione nostra, quidquid rectè possumus, fecerimus; si aliqui de nobis, vel malè fingendo, vel malè credendo, famam nostram decolorare conantur; affit conscientia solatium, planèque etiam gaudium: quòd merces nostra magna est in cœlis, etiam dum dicunt homines mala multa de nobis, piè tamen, justèque viventibus. Illa enim merces, tanquam stipendium est militantium, per arma justitiæ: non solum in dextra, verum etiam sinistra: per gloriam scilicet, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam. S. Aug. l. de bono viduit. c. 22.

Magna, & mirabilis, & omni acceptione digna, est misericordia DEI; quæ per malos quandoque contra justos duras, & graves infamias suscitare permittit: ut per aquam infamiae vinum nimis gratiosi nominis temperetur; nè justus mens incurrat spirituales ebrietatem, unde deviare habeat à vero lumine virtutis. S. Bernardinus t. 1. f. 8. artic. 2.

*Devotio.* Vide Oratio. Sanctitas. Opera bona. Virtus.



# TITULUS IV. DEUS.

§. I.

De Nominibus DEL.

Ex Veteri, &amp; Novo.

**F**ormavit itaq; Dominus DEUS hominem. Gen. 2. 7. Tertull librò contra Hermogenem hæreticum perpendit, quòd in S. Scriptura DEUS, ante hominis creationem, non reperitur Dominus, sed tantum DEUS, appellari; ut legenti patebit. *Formavit &c.* Tandem passim Dominus vocatur: nam principatus politicus apud homines rationis participes tantum reperitur. Diez c. 1. D. 14. Pent. S. Aug. in Gen. ad lit. l. 8. ab ipso divini hujus libri exordio, in quo ita coepit: *in principio creavit DEUS &c.* usque ad formationem hominis, nunquam positum est, Dominus DEUS, sed tantummodo DEUS. Nunc verò, ubi ad id ventum est, ut hominem in paradiso constitueret, eumque per præceptum operaretur, ita scriptura locuta est, & sumptit Dominus DEUS hominem. Non quòd supradictarum creaturarum non esset Dominus; sed quia hoc non propter Angelos, nec propter hæc, quæ creata sunt; sed propter hominem scribebatur: ad eum admonendum; quantum ei expediat habere Dominum DEUM. q. d. Tunc se DEUS magnum Dominum æstimat, quando hominem sibi obedientem esse conspicit. Paolett. f. 6. Festo S. Josephi. Ut monstraretur, nullius alterius creaturæ, sed tantum hominis, non solum ut aliarum creaturarum esse, & vocari Dominum voluisse; cujus propriè proprium est, sub cælo rationabilem obedientiam recipere. Sim. Cassian. l. 4. c. 1.

*Quis est, misit me.* Ex. 3. 14. Ex omnibus Nominibus, quæ DEO tribuuntur, nullum æquè proprium videtur, atque *Enni* nomen: quemadmodum, cum Moysi in monte oracula ederet, ait: dic filiis Israel: *quis est &c.* S. Jo. Damasc. l. 1. orthod. fid. c. 12. universum enim id, quod est, tanquam immensum quoddam, & infinitum essentia pelagus complexu suo continet. Ut autem Dionysio placet, primarium ipsius nomen *Bonus est.*

In aliis libris veteris Testamenti DEUS vocatur *Sebova, Adonai, Elohim.* Et quia DEUS in iis agit cum Synagoga quasi cum ancilla; ideo se DEUM, Dominum, fortem, vindicem, omnipotentem, terribilem, nominat. In Cantico verò nullum est tale nomen reperire, quod terrorem incutiat: quia in ea agit cum Ecclesia, quasi cum Sponsa dilectissima: unde se non nisi Sponsum, Patrem, amicum, amantem, & amatum, ac Dilectum nuncupat: quia hæc nomina amore Sponsæ excitant, fovent, acuant, & augent. Ità Bellarminus l. 1. de verbo Dei c. 5.

DEUS in veteri Testamento plusquam ducenties vocatur *Dominus exercituum*; in Novo

tamen ferè nunquam; sed potius *Pater, Magister, agnus, ovis, pastor, & Salvator*: quia illud nomen erat; hæc autem pietatis. Mendoza in 1. Reg. 1.

*Clamabant Seraphim sanctus! sanctus! sanctus Dominus DEUS exercituum.* Il. 6. 3. Sed cur sanctitatem primò laudant? & hoc non semel, sed ter; cum tamen semel tantum Dominum DEUM nominent: S. Ambr. l. 3. de S. spiritu c. 18. illam solam sanctitatem prædicant Cherubim, & Seraphim, indefessis vocibus laudant, & dicunt: *Sanctus! sanctus! sanctus! Dominus DEUS Sabaoth.* Nos quoque nihil pretiosius invenimus, quò DEUM prædicare possimus; nisi ut sanctum appellemus. Quodlibet aliud inferius est Deò, inferius est Dominò. *Magnificasti super omne nomen sanctum tuum.* Pl. 137. 2. Cur non dixit, nomen tuum DEUS? nomen tuum omnipotens, nomen tuum misericors? sed nomen tuum sanctum? Dion. Areop. l. de divin. nominib. cap. 13. Nomen sanctum tuum, tanquam omnium nominum pretiosissimum. Sylveira in Luc. 1. q. 50.

*Qui ponitis Fortuna mensam.* Il. 65. 11. Hebr. pro fortunæ *Gad.* Hinc patet, Gad fuisse DEUM Gentium, à quo in bellis fortunam, & victoriam, pendere censebant; quem alii Martem, alii Fortunam, vocabant. Atque hinc Germani olim bellis affueti DEUM suum vocaverunt *G. d.* Cornelius in Il. c. 65.

*Homo quidam fecit cenam magnam.* Luc. 14. 16. DEUS homo dicitur, quòd hominis creator sit; & cum homo omnium illius operum sit primum, & excellentissimum, ipse in tantæ rei significationem, nomen hominis sibi ultro assumpsit. Homo quoque dicitur, quòd hominem cum primis diligit. Homo deniq; vocatur, quòd Filium unigenitum hominem, hominum redimendorum gratiâ induere voluerit. Cumque Filius sit divinitate per omnia æqualis, simulque homo sit; Pater, qui idem prorsus est, quantum ad divinitatem cum Filio, similis quoque secundum humanitatem esse desiderat. Bessius D. 2. Pent.

## Ex Patribus.

DEUS nec videri potest; visu clarior est: nec comprehendi; tactu purior est: nec æstimari; sensu major est: & ideo sic eum dignè æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. S. Cyprianus lib. de idolor. vanit.

Nec Nomen DEI quaeras. DEUS est nomen illi: illic vocabulis opus est, ubi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est. Id. ib.

Nomina imponuntur rebus, ut per ea dignoscatur ipsarum varietas: DEUS autem neque superiorem quemquam habuit, à quò nomen acciperet; neque se ipse nominare voluit.

voluit: cum unus, & solus esset. S. Justinus M. ferm. ad Gentes.

Ex quo effectum est, ut nec nomen DEI proprium possit edici, quoniam non possit nec concipi. Id enim nomine continetur, quidquid etiam ex naturæ suæ conditione comprehenditur: nomen enim est significantia ejus rei, quæ comprehendendi potuit ex nomine. Tertull. lib. de Trinit.

Augustus Imperii formator nè Dominum quidem dici se volebat: Hoc enim DEI est cognomen. Sed & gratius est nomen pietatis, quam potestatis. Idem apologet. advers. Gentes.

Incredibili illius bonitate factum est, ut ex his rebus, quæ naturæ nostræ conveniunt, nominari voluerit; nè alioquin cognitionis ipsius profusus expertes simus. S. Jo. Damasc. l. 1. orthod. fid. c. 15.

Pater ideo appellandus est, quia nobis multa, & magna largitur. Dominus ideo, quia castigandi, ac puniendi, maximam habet potestatem. DEUS autem, qui unus est: quoniam utramque personam sustinet, & Patris, & Domini. Et amare eum debemus, quia filii sumus; & timere, quia servi. Lactantius l. 4. Div. instit.

## §. II.

### DEUS ineffabilis, incomprehensibilis.

Cum Moyses primò ad DEI amicitiam vocatur, præbet se in rubo inter lucidas flammam. Ex. 3. 2. Postea verò, cum jam Moyses proficeret, Deoque esset familiarior, DEUS se ei per nubem in caliginosa nebula objicit. Ex. 34. 5. S. Greg. Niss. l. de vita Moyf. cur, qui in principio vocationis Moysis ad DEI familiaritatem illi in rubo splendido apparuit; postquam in familiaritate cum DEO majores progressus fecerat, non in flamma ignis, sed in nebula illi apparuit? Quia quanto magis quis in rebus divinis conversatur, tantò magis eas sublimiores esse comprehendit; velut inter densas tenebras se versari sibi videtur. Sylveira in Matth. 13. cap. 29. q. 3.

Loquar ad te de medio duorum Cherubim. Ex. 25. 22. Propitiatorium DEUM representabat; Cherubim duo naturam Angelicam, & humanam; alæ cognitionem de DEO. Quò magis alas extendunt, eò magis Propitiatorium velant: quia, quò magis DEUS intelligitur, eò magis incomprehensibilis esse cognoscitur. Dietz in Ascens. D. c. 1.

Cum consummaveris homo, tunc incipiet. Eccli. 18. 6. Significat eum, qui magnitudinem Dei, & operum ejus, vestigare, & enarrare, conatus fuerit: cum omne studium eò contulerit, nihil tamen effecturum. Cum quisquam ab solvisse se putaverit in vestigationem, & enarrationem, de Deo; tunc demum inveniet tantum superesse, ut quasi de novo incipiendum sit. Jansenius apud Cornelium hic.

Vidi Dominum sedentem - & addit: duas velabant faciem ejus. - II. 6. 1. Quomodo vidit Dominum, si velatus? quia eò plus se

Dominus manifestat, quò oculis nostris se magis subtrahit. Sylveira in Matth. 13. q. 2.

In principio erat Verbum. Jo. 1. 1. Cur hic ponitur erat modi imperfecti? denotat, quòd omnis notitia, quæ in hac vita habetur de hoc divino mysterio, est valde imperfecta. Did. Niss. p. 2. h. 9. pol. cæl. Exposit. 2. q. 4.

## Ex Patribus.

Ad cogitandam, & ad loquendam, illius majestatem, & eloquentiam meritò omnis muti est, & mens omnis exigua est. Major enim est mente ipsa, ut nec cogitari quidem possit, quantum sit: nè poterit cogitari, mente humana minor sit oportet, quæ concipi possit. Quidquid autem de illo cogitatum fuerit, minus ipso erit. Quidquid omnino de illo retuleris, rem aliquam ipsius magis, & virtutem, quam ipsum explicaveris. Tertullian. l. de Trinit. sub initium.

Si meipsum nescio; si animam meam substantiam, & naturam ignoro; si eorum, quæ intra me sunt, rationem non intelligo: quæ audaciâ supra me erigam oculos, ut videam principium sine principio; & finem sine fine attingam? S. Cyprian. in præfat. de Cardin. operib. Christi. Idem dixit S. Greg. Naz. orat. de recta doctrina.

Certè hic est, de quo, & cum dicitur, non potest dici; cum æstimatur, non potest æstimari; cum comparatur, non potest comparari; cum definitur, ipsa suâ definitione crescit. S. Ambros. l. de fide contra Arrian. c. 6.

De DEO nihil dignè humanus sermo dicit. S. Isidorus l. 1. sentent. c. 2.

Quanto magis cogitatur DEUS, tanto incomprehensibilior reperitur. Hugo Card. in Prov. 23.

Religiosa est quædam ignoratio DEI eorum, qui cum Paulo eum vident per speculum in enigmate. I. Cor. 13. 12. cum Moyses balbutient, & inscitiam suam fatentur. Ex. 4. 10. cum Elia faciem suam obtegunt. 3. Reg. 18. 42. cum Ezechiele oculos velant. Ezech. 12. 6. cum Daniele, & Joanne, ad tantæ majestatis splendorem, in terram proni concidunt. Dan. 10. 9. Apoc. 1. 17.

## §. III.

### DEUS unus.

DEUS, si non est unus non est: quia dignius credimus esse, quodcunque non ita fuerit, ut esse debeat. Tertull. l. 1. adv. Marc.

DEUS perfectus est, atque ab omni defectu alienus. Si plures deos asseruerimus, inter plures discrimen considerari necesse erit: nam si nihil inter eos discriminis reperietur, unus potius erit, quam multi; si autem discrimen aliquod inter eos existit, ubi tandem erit perfectio? S. Jo. Damasc. l. 1. de orthod. fid. c. 5.

## §. IV.

### DEUS infinitus.

Sub pedibus ejus, quasi opus lapidis sapphirini. Ex. 24. 10. q. d. Sub pedibus DEI apparebat quasi pavementum ex Sapphiro constitutum.

stratum. Signabatur præstantissima Dei Majestas, quæ omnem cæli, & gemmarum, fulgorem longe transcendit, & pedibus premit. Est enim sapphirus gemma gemmarum, ait Abulensis, Pierius hierogl. 41. Sapphirus apud veteres magna semper in veneratione fuit: quia per eum, Imperium, & summum sacerdotium, significari, manifestum est. Modò quoque summus Pontifex cuilibet Cardinali recens creato Sapphirum mittit. Sapphirus aureis punctis, quasi stellis, micat, &c. Cornelius hic:

*Magnus Dominus, & laudabilis nimis; & magnitudinis ejus non est finis.* Pl. 144. 3. *Magnus, & non habes finem; excelsus & immensus.* Baruch. 3. 25.

*Consummatio sermonum, ipse est in omnibus.* Eccli. 43. 29. Græc. *Finis autem dictorum ipse est omne.* Concordat Paulus I. Cor. 15. 28. *ut sit DEUS omnia in omnibus.* DEUS ergo est  $\tau\omicron$   $\pi\acute{\alpha}\nu$ ; id est, omne, & omnia. Cornelius hic.

*Ecce gentes, quasi stilla situla, & quasi momentum statera.* Il. 40. 15. quasi spatum reputatae sunt. Hugo Card. hic.

*Erre magnus coram Domino.* Luc. 1. 15. Omnes fluvii, ingredients mare, nomen suum amittunt: excellentia Dei tam grandis est, ut omnes perfectiones cum eo comparatae nihil sint. Stella hic.

## §. V.

## DEUS immensus.

*Non est DEUS in conspectu ejus.* Pl. 10. 5. Nusquam deest; & tamen ab iniquorum cogitationibus longè est. S. Greg. hom. 8. in Ezech. Fatendum est, DEUM ubiq; esse, per divinitatis præsentiam; sed non ubiq; per habitationis gratiam. S. Aug. ep. 57.

*Quò ibo à spiritu tuo?* Pl. 138. 7. *Nunquid non cælum, & terram, ego impleo? dicit Dominus.* Jer. 23. 24. S. Isidor. l. 1. de summo bono c. 2. immensitas divinæ magnitudinis ita est, ut intelligamus eum intrâ omnia; sed non inclusum; extra omnia, sed non exclusum.

*In ipso vivimus &c.* Act. 17. 28. *In ipso vivimus*, sicut pisces in aqua, quæ non solum ad extra circum eos, imò intrat intus; ita Divinitas in nobis. In ipso *movemur*, sicut aves in aere. In ipso *sumus*, sicut stellæ in cæli firmamento, ubi habent suum esse; ita nos in DEO: quia intrâ DEUM stamus, movemur, & sustinemur. S. Vinc. Ferrer. l. 7. D. 2. adv.

Efficaciæ divinæ per membra monstrantur; non habitus Dei, neque corporalia lineamenta ponuntur. Neque enim sunt membra, aut membrorum officia, necessaria; ad cujus solum, etiam tantum, arbitrium, & servant, & adsunt omnia. Cur enim requirat oculos, qui lux est? aut cur quærat pedes, qui ubique est? aut cur ingredi velit, cum non sit, quò extra se progredi possit? aut cur manus expectet, cujus ad omnia intruenda artifex est? & silens voluntas? Tertull. l. de Trinit.

DEI locus esse dicitur, qui uberioris ipsius operationis, & gratiæ est particeps. Ob eam- *Polypant. Sacr. Tom. I.*

que causam *cælum* ipsius *sedes* est. Il. 66. 1. Illic enim angeli, qui ipsius voluntati obsequuntur, eumq; sempiternis laudibus afficiunt: hæc quippe ipsi est requies. *Terra autem scabellum pedum ejus*: in ea siquidem per carnem cum hominibus conversatus est. Pes porrò Dei, sancta ipsius caro variis locis nominata est. S. Jo. Damasc. l. 1. orth. fid. c. 16.

Omnipotentiæ divina Majestas cuncta potestatis suæ immensitate concludit; nec evadendi potentiam ejus quisquam aditum invenire poterit: quia illa omnia circumquaque constringit. S. Isidorus l. 1. sent. c. 2.

Quia perfectissimum, & immensum; ideo est intrâ omnia non inclusum; extra omnia non exclusum; supra omnia non elatum, infra omnia non prostratum. S. Bonav. Itiner. c. 5. de Est. divino.

## §. VI.

## DEUS æternus.

*Ego sum, qui sum.* Ex. 3. 14. Significat æternitatem DEI; opponiturque volubilitati temporis, quæ per futurum, præsens, & præteritum, extensa est, & distincta: æternitatis enim proprium est, semper immutabiliter esse. Cornelius hic.

*Ego hodie genui te.* Pl. 2. 7. Dicendo hodie, coæternitatem suæ Majestatis ostendit: *hodie* enim apud DEUM nullò initio incipit, nullò fine concluditur. Non est enim ibi *sum*, neque *eris*; sed *semper* manet, *semper* est. *Quærit, misit me.* Ex. 3. 14. Cassiodorus hic.

*Præquam moyses fierens; aut formaretur terra, & orbis: à saculo, usq; in sæculum tu es DEUS.* Pl. 89. 2.

*Antiquus dierum.* Daniel. 7. 9.

*Primus, & novissimus.* Apoc. 1. 17. Nihil ei præteritum, nihil futurum. Lessius de perfect. div. æternus l. 4. c. 1.

## §. VII.

## DEUS omniscius, sapiens.

*Sapientiam DEI præcedentem omnia quis investigavit?* Eccli. 1. 3. DEUS omnia, quæ in Mundo sunt, usq; ad minutissimas partes, figuras, colores, qualitates, conditiones, situs, motuunculas, momenta, modosque omnes, distinctissimè, & perfectissimè, intuetur, & in numerato habet: nimirum omnes vermiculos, omnes muscas, omnia animalia; & partes singulorum; omnia gramina, folia, omnes pilos animantium, omnes arenas littoris, & deserti; omnes guttas maris, omnes stillas pluviarum, omnes crispationes undarum, omnes foliorum motus; omnium mensuras, distantias, congruentias, discrepantias, situs, modos, tempora: omnes hominum, & Angelorum, cogitationes, affectus, intentiones; præsentis, præteritis, futuras; & momenta singulorum. Hæc omnia semper distinctissimè, & clarissimè, intuetur, penetrat, comprehendit; idque ad eò clarè, & perfectè, ac si tota vis mentis illius in unum duntaxat illorum intenta esset. Cornelius hic.

*Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* Matth. 10. 30. Quia omnia, quantumvis

K k

tumvis

tumvis vilia, & parva; distincte, & perfectissime, cognoscuntur à DEO. Carthuf. hic.

In ipsa Deitate omnia, quæcunque sunt, rationabiliter, & sapienter, ordinata sunt: nam non est ulla titella in cælo, quæ non est in ea, & per eam constituta, & prævisa. Non unus atomus in terra; non una scintilla in Inferno est, quæ ejus constitutionem excedat; & quæ ab ejus præsentia se possit occultare. 1. 2. Revel. S. Brigittæ cap. 17.

## §. VIII.

*DEus bonus, beneficus, clemens.*

Num. I.

*Ex Veteri, & Novo.*

**ET** *ero eorum DEUS.* Gen. 17. 8. Quid est? *ero eorum DEUS?* hoc est: multam me eorum habere curam ostendam; & meum subsidium illis præstabo. S. Chrysol. in Gen. hom. 39.

Vocatur etiam DEus *Saddai.* Exodi 6. 3. quasi mammeus; qui omnem sufficientiam, & abundantiam, quasi omnipotens tribuat. *Saddai* enim interpretatur *munificus*, liberalis, omnipotens. Cornelius hic.

*Ego sum Dominus Deus tuus.* Deut. 5. 6. Oculum expendit tuus, dum ait: sunt aliqui reges, & Domini, qui sunt sui; alii, qui sunt consanguineorum suorum, & amicorum. Quid, quæso, habet DEus, quod non sit tuum? Habet cælum; tuum est, cujus influentis vivis. Si *servam*; eam *dedi filiis hominum*: si stellas; eas creavit in ministerium cunctis gentibus. Lessius de perf. div. Liberalitas.

*Custis, quid de nocte?* Is. 21. 11. Tu es, qui rationabilem substantiam, ad imaginem tuam factam, custodire debes; solus, qui custodire potes; tu ipse, qui custodire soles. Doles, quia creatura tua est; potes, qui omnipotens es; soles, quia misericordissimus es. Rich. à S. Vict. l. de verb. Incarn. c. 4.

*Hec omnia tibi dabo.* Matth. 4. 9. Christus Divinitatis suæ existimationem in periculum adduxisset, si unus sibi omnia arrogasset; cum ipse totus, quantus est, communis sit omnium. Did. Niff. D. 1. Quadr. §. 6.

*Ex Patribus, & aliis.*

**T**Am clementer DEus humanæ consultit infirmitati; ut, quæ cum, sicut est, non possumus agnoscere; nostræ locutionis modò seipsum nobis innotet. Unde & membrorum nostrorum qualitatem habere describitur; & passionum indigna de se dici voluit: quatenus ad sua, per nostram, nos traheret; & dum condescendit nobis, contingeremus ei. S. Ildo. l. 1. sentent. c. 5.

Ejus bonitatis totus testis est Mundus; quem non instituit, nisi quia bonus fuisset. Tertull. lib. de Trinit.

Num. II.

*Bonitas, Deitatis propria, & signum.*

**V**enisti huc, ante tempus torquere nos. Matth. 8. 29. Non dixit; venisti, hominem in libertatem asserere; sed nos affligere. In ipsa

laude subdolos, & adulatione pessimus: voluit hominibus persuadere. Christum advenisse nocendi studio, quò illum non esse DEum assereret. Naxera in Jos. 13. §. 11.

*Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur; & dabit illi Dominus DEus sedem David Patris ejus.* Luc. 1. 32. Quomodo nunc vocat filium David, cum prius dixerit *Filium altissimi*? Dum Angelus de ipso ait, quòd erit magnus operibus, miraculis, & donandis beneficiis, tunc asserit vocandum Filium DEI. Dum autem ait, accepturum eum sedem David, statim filium hominis declarat. S. Chrysol. l. 44. vides, quia, quando accipit, David filius dicitur, quando dat, DEI Filius nuncupatur. Proprium enim Dei est dare, benefacere; hominis autem accipere. Sylveira hic q. 38.

Cur Baptista Christum Jo. 1. 29. appellat, non solum agnum, sed agnum Dei? cum tamen Evangelista Apoc. 5. 6. 13. agnum tantum dicat? & in apocalypsi apparebat Agnus in monte Sion, in throno, & eminentissima sede, in medio Seniorum; à Baptista verò digitò ostendebatur, *solvens peccatum Mundi* v. 29. Ideo hic agnus DEI vocatur: multò enim magis patet Divinitas, dum hominum peccata abluit: quam dum in throno, & sede majestatis regnat. Sylveira hic q. 5.

DEI benignitatem imitare. Nihil hominivinitus habet, quam beneficentiam. Licet DEUS nullò labore fias, opportunitatem adipiscendæ Divinitatis amittere noli. S. Greg. Naz. or. 18.

Deus omnipotens, & clemens; cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est. S. Leo l. 2. in Nat. D.

Num. III.

*Falsi dij non juvant, non dant; imò exigunt.*

**ET** *constitui te DEum Pharaonis; & Aaron frater tuus eris propheta tuus.* Ex. 7. 1. Cur non & Aaron DEus constituitur? Aaron, cum, absente Moyse, populo imperaret; quidquid optimum, & pretiosum, accipit, pro mittens auxilium; sed providens damnum: pro conflando idolo populus est nudatus, & post mucrones expertus. *Moyse verò fecit serpentem ancum.* Num. 21. 9. Moyse nihil refertur à populo accepisse; sed vitam impendisse omnibus. Naxera in Jos. 24. §. 9.

*Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum.* Pl. 105. 20. Erat vitulus, ut fenum comederet. Non erat vitulus; sed vituli figura, ut populum per desertum duceret. Pl. 113. 7. *Pedes habent, & non ambulabunt.* Non tamen ait: dentes habent, & non edent: vitulus enim pasci volebat; sed non ambulare ad juvandum. Id. ibid. Sed quid novum dicitur, quòd comedebat fenum? si enim vitulus; manifestum, quòd tali cibo uteretur. Lorinus: exaggeratur egregie peccatum, describendo animal eadè utens; & nihil velut beatus habens, quam vesci: cum arare, triturare, plaustrum trahere, labor sit ipsi.

ipſi. Paſci, & comedere, utilitas eſt ipſius vituli; arare verò labor ipſi, commodum autem aliorum. Inde ergo exaggeratur culpa, & quæ major poterat eſſe? quam pro DEO colere illum; qui ad ſui, & non aliorum, emolumentum, totus erat intentus: nihil enim magis alienum à Dei natura eſt excogitabile. Sylveira in Matth.

4. q. 13.

*Os habent, & non loquuntur;* Pf. 113. 5. Idolis Gentium ſunt ſine ſenſu oculi, nares, os, manus, pedes. Cur non & ventrem teſtatur inanem epulis? aut cur non dicit: os habent, & non comedent? nimirum dii gentium non utuntur membris, quibus prodeſſe poſſent; ſed ea adhibent, quibus noceant hominibus, eorumque fortunæ abſumant. Oculis capti ſunt, ne adoratores videant; manibus carent, quibus munera largiantur; elinguis ſtant, ne oracula fundant; non currunt implorati: ore ad edendum, & ventre, non carent; ſed edaciſſimè & noſtra vorant, & nos. An gentium ſimulacris ſimiles ſiant aulicorum ſemidei; viderint illi, qui iis non pecora; ſed dies, vitam, mentem, & non rarò DEum immolant ſuum. Oliva l. 12. Strom. hic.

*Conſractus eſt Bel. non potuerunt ſalvare portantem.* If. 46. 1. 2. & ſtatim ſubditur v. 3. *Audite me Dominus Jacob, qui portamini à meo utere.* Subdit rationem: *Ego ſect, & ego ſeram.* v. 4.

*Impendebantur in eo per ſingulos &c.* Dan. 14. 2. Ecce, quanta idolo ſolvere quotidie opus! Quid autem jovit ſuos cultores? audi Danielelem v. 6. *ne erres Rex: iſte enim intrinſecus luteus eſt, & forniſ. eius arcus, in q. comedit aliquando.* Gradi non poterat ære onuſtum; nec manum porrigere, quia luteum. Et tamen vivens videbatur; ut illi penderentur tributa; mortuum, ut ipſe præberet auxilia. Naxera in Joſ. 24. §. 9.

§. IX.

#### DEI cultus.

*ERit mihi Dominus in DEum.* Gen. 28. 21. Videtur votum otioſum. Non idem eſt, habere Creatorem pro Domino, & habere illum pro Deo. Qui pro Domino illum habent, nec tamen ei ſerviunt; pro Deo non habent. Did. Niſſ. pol. cœl. p. 12. c. 9.

Salomon ſeptem annis ædificavit templum, tredecim regiæ domui impendit. 3. Reg. 6. 38. 3. Reg. 7. 1. Joſephus l. 8. antiqu. c. 2. abſolutà templi fabricà, quæ ſeptenniò duravit, Regiæ ſtructuram eſt aggreſſus, quam vix decimò tertio annò conſummavit. Cur ampliffimo templo ædificando non tot annos inſumpſit, quot Regiæ domui exitruendæ? quia primæ curæ ſpirituali totus conatus animi erat impendendus: exitruentionem autem domus ad proprium uſum, quaſi acceſſorium, rex ſapientiſſimus deputavit. Eſcobar t. 3. Colloq. Chr. l. 6. ſect. 2. obſ. 4.

*Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuae.* Eccl. 12. 1. Hebr. *Tempore electionum tuarum.* Senſus eſt, quaſi dicat, juxta S. Hier. Hugon. Cajet. adoleſcens, qui in flore, & vigore, ætatis; blanditur tibi voluptuſ. *Polyanb. Sacr. Tom. I.*

tas, ſollicitat venus, inſtigant ſocii, impellit dæmon. Quare, ne iis ſuccumbas, & teipſum perdas; *memento Creatoris tui:* quòd ſcilicet ſit DEus tuus Creator, tu ejus creatura; quæ totum ſuum eſſe, quantum quantum eſt, debet Creatori; ab eoque tota pendet, tam in eſſe, quàm in conſervari; ſicut radius à ſole. Si igitur homo Creatura DEI eſt, memento, te totum, quantus es, Dei eſſe; non tuum, non parentum, nec alterius creaturæ. Redde ergo Deo, quòd ſuum eſt, redde teipſum. Itaque Creatoris nomen habet emphatiſm; qui titulus expoſcit à Creatura, ut DEO creatori ſuo, velut abſoluto Domino, præſtet omnem ſubmiſſionem, reverentiam, & amorem. Cornelius hic.

*Sicut fui ſenſu veſter, ut erraretis à Deo, ſic etiam tantum iterum convertentes requiritis eum.* Baruch 4. 28. q. d. decuplam in DEI obſequio adhibete diligentiam, quam poſuisti in offenſione. Juſtiſſimum eſt, nihil omnino detrudere ex iis, quæ præſtare poſſis, memor ejus quòd Job dixit: c. 9. 3. *Si volueris homo diſputando cum eo conſendere, non poteris ei reſpondere unum pro mille.* Et quòd dixit Eccleſiaſticus 43. 31. *Terribilis Dominus, & magnus vehementer; & mirabilis potentia ejus. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis; ſuper vobis enim adhuc. Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum poſſitis: major enim eſt omni laude.* De Ponte tom. 1. de perfect. Chr. hom. tr. 1. c. 19.

*Ecce magi ab Oriente.* Matth. 2. 1. Video magos Jerofolymis audiente tyrannò recens natum Judæorum regem impunè prædicare. Cur tanquam auhores rebellionis non puniuntur? cur illis ſilentium non imponitur? quia conſentes DEum quærebant. O ſi nobis hæc eſſet cura, ut in omnibus DEum quæramus; quâ ſecuritate, quò triumphò, per media mala incederemus! Bæza l. 2. c. 8. §. 1.

DEus noſter ignis quidem conſumens eſt; ſed igni elementario multum diſſimilis. Ignis namque corporeus res ipſas comburit, quibus continetur; procul autem poſitus innoxius eſt. DEus autem noſter, verus, & perpetuus, ignis; ſuam è contrario naturam, vel potentiam, exerit: nam illis, intrà quos eſt, non ſolum innoxius, verum etiam ſalutaris, & clementiſſimus eſt; longè autem poſitus, & dignè appropinquare nolentibus, nimium damnolus exiſtit. Rupert. in Exod. l. 1. c. 12.

§. X.

*DEus talis erga nos, quales nos in ipſum.*

*Teſtimonia.*

*Ex Veteri.*

*REſpexit Dominus ad munerera Abel.* Gen. 4. 4. 5. Quare reſpexit DEus Abel, & munerera ejus? Pro eo quòd reſpexit DEum rectò animò, & in omnibus moribus ſuis; Deumque honorabat ſine fraude de muneribus ſuis. Cur autem Cain non eſt reſpectus, & munerera ejus? quia perverſa agebat in animo. Quòd DEus ad te, atq; ad

Kkk 2

ua

tua munera, non respiciat; non fecit bonitas fraternam; sed hoc tua malitia meruit. Respexisset utique, si respexisset. Nam diligentes se diligit; & respicientes se respicit. Inaequalitatem irradiantis solis non fecit lucis natura, sed corporum dispositio, major, vel minor, ad susceptionem ejus. Sim. Cass. l. 17. de justit. Chr. c. 4.

*Si ambulaveritis ex adverso mihi; ego quoque contra vos adversus incedam.* Levit. 26. 23. 24.

*Quia non credidistis mihi, ut sanctificaveris me coram filio Israel, non introduceris hos populos in terram, quam dabo eis.* Num. 20. 12. Cajet. quia non credidistis mihi, nec ego vobis fidam, ut populum hunc introducat &c. poena manifestat culpam. Did. Niff. D. 20. Pent. §. 2.

*Jucundum sit ei eloquium meum; ego vero delectabor in Domino.* Pl. 103. 34. Duæ quidem res sunt, sed utraque sibi parili societate consentiunt. Sic enim suavis fit Domino nostra laudatio, si nos delectemur in Domino; quantumque ille nobis dulcescit, tanto illi efficiamur chariores. In se enim unusquisque reperit, qualis apud Majestatem illam esse possit: amans diligitur, negligens spernitur. Cassiod. hic.

*Poenituit eum secundum multitudinem miserationum suarum.* Pl. 105. 45. Considera, quia ista poenitentia tunc fieri dicitur, quando & nos poenitentes esse cognoscit: talis enim ille nobis efficitur, quales nos sibi esse probaverit. Cassiodorus hic.

*Ecce non dormitabit, neque dormiet.* Pl. 120. 4. Dormitare dicitur Dominus, quando nos in ejus se respiciamus. In quo enim non dormit fides, vigilat Christus: nam si nos ab ejus contemplatione discedimus, ipse quoque à nostra defensione subtrahitur: sicut in illa navi factum est; quando negligentibus discipulis Dominus dormiebat. Sed ubi fides eorum excitata est, Dominus quoque de somno surrexit; & statim ab eis pericula maris submovit. Cassiod. hic.

Non debet peccator abscondere miseriam, nè abscondat Salvator misericordiam. S. Bonav. in Pl. 118.

Sponsa Dilectum modò hetro, modò fasciculo myrrhæ comparat. Cant. 1. 12. 13. Cur tam rebus disparatis? uva dulcis est palato, gratæque; myrrha autem amara, & gustui insipida. Maximilianus II. Imp. ut modum ostenderet subditis, quem in regimine observatum voluit; curavit in Symbolo pingi aquilam, pede unò fulmen tenentem, alterò coronam auream, cum lem: *In opportunitate utrumque*, q. d. probus subditis liberaliter præmia largiatur; malos puniam. Sic Deus fasciculus myrrhæ est iis, qui eum ad amaritudinem provocant, &c. Paoletti D. Quinq.

*Dilectus meus mihi & ego illi.* Cant. 2. 16. Joannes Jesu, & Jesus Joanni: Joannes Jesum prædicat; & Joannem Jesus commendat. Par pari redditur; & tam amicæ, quam justæ vicissitudine, charitas invicem provocatur, & remuneratur. Guericus Abb. f. 4. de S. Joan. Bapt. Qualis ego sum Dilecto meo, talis & ille mihi: quia ego illum amo, ille amat & me. S. Greg. Niff. hic. Et explicat hom. ult. in Cant. sicut specu-

lum ad usum rectè comparatum purâ in superficie inspicientis faciei accuratè reddit characterem; sic, postquam anima seipsam rectè comparavit, omnemque ejus vitæ labem abiecit, puram incorruptæ pulchritudinis sibi metipsi imprimens speciem dicit: meus est cognatus, & ego ipsius sum. Si accedis ad speculum, quid aliud monstrat? quam teipsum. Si accedis gratiosâ, vel horrendâ facie; te gratiosum, vel horrendum reddet &c. Sic &c. applica Deo & tibi. Sylveira in c. 14. Jo. q. 7.

*Speculum sine maculâ.* Sap. 7. 26. dicitur Christus. Qualis es, talem te speculum exhibet. Did. Niff. D. 20. Pent. §. 2.

*Abhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur.* Jon. 3. 4. Sententia hæc non pervenit ad executionem. S. Hier. Libenter mutavit Deus sententiam, quia vidit eorum opera commutata. Paoletti Dom. Quinq.

### EX NOVO.

*Responsio accepto, ne redirent ad Herodem, &c.* Matth. 2. 12. Qui munera obtulerunt Domino, consequenter responsum accipiunt; non per Angelum, sed per ipsum Dominum. S. Hieron. l. 1. hic. quia nimirum ipsi in persona venerunt adorare. Sed cur stella? cur angelus, non reducit, sed Deus? Qualis homo Deo, talis homini Deus. Magi, cognitâ Christi nativitate, non legatos ad eum cum muneribus mittunt; sed ipsi in persona veniunt, & adorant. Sic Deus ad nos non aliquem ministrum designat, sed eis ipsemet adest, viamque monstrat. Sylveira hic. q. 37.

*Domine!* Matth. 8. 25. Videtur Dominus eis, qui sibi dormiunt: nam meritis se omnibus exhibet, qualem merita cuiuscunque requirunt. Sim. Cassian. l. 5. c. 2.

*Qui autem n. gaverit me coram hominibus &c.* Matth. 10. 33. Qualis homo erga Deum; talis ille erga ipsum. S. Hil. S. Pafchalius.

*Assumpsit Petrum, & Jacobum, & Joannem.* Matth. 17. 1. Deus erga eos magis est beneficus, qui in illum sunt officiosiores. Hos assumpsit: quia liberalioris obsequii erga Christum. Did. Niff. Sabb. D. 1. Quadr.

*Tradidit eum tortoribus.* Matth. 18. 34. Cum servo converso, & poenitentiam agente, conversus est Dominus. At cum factus perversus, tradidit eum Dominus tortoribus. Baradius hic. D. 21. Pent.

*Videō homines velut arbores ambulantes.* Marci 8. 24. Siftitur Domino cæcus, ut visum recipiat. Christus applicat salivam oculis; & interrogat, si quid videret? respondet: utrumque, sed imperfectè: *Videō homines &c.* Tum planè vidit omnia. Cur non mox confert visum perfectum? Christus se gerit in danda cura, quomodo cæcus in præstantia Christo fide. Cæcus initio modicæ fidei; & Christus dat modicum lucis: crescit cæcus in fide, crescit Christus in danda luce. Euthymius: augmentum fidei augmentum promeruit sanitatis. Paoletti D. Quinq.

*Conversus JESUS ad mulierem.* Luc. 7. 44. conversam ad eum. Néque quidem convertitur ad avertos, qui ab eo faciem avertunt; de quibus per prophetam dicitur: *verterunt ad me tergum, & non faciem.* Ad hos non convertitur Dominus, sed avertitur. Sim. Casian. t. 9. c. 29.

*Sini lumbrici vestri praeinchi.* Luc. 12. 35. Dion. Cardus. hic estote parati ad exequendum opera Dei, & ad ambulandum in via Domini: Christus etiam *praeinchi se*; id est, disponet ad dignam felicitatis aeternae dandam mercedem.

*Faciet illos discumbere &c.* Luc. 12. 37. Quia parumper servus addit in Domini sui expectatione succinctus, & sustinendi fidem brevi fatigatione portavit: cui talionem ut redderet, distimulat se in ipsa Divinitate Divinitas. Sanct. Chrysol. l. 24.

*Vidit illum.* Luc. 19. 5. videntem se, quia elegit eligentem se, & amavit amantem. V. Beda. hic.

*Eccc dimidium bonorum meorum do.* ib. Non dixit dabo dimidium, & reddam quadruplum; sed *ecce do, & reddo*: Christus evangelizat ei salutem. Hodie das, hodie tibi & salus. Theophylactus hic.

*Zachae festinans descendere.* ib. Alludere videtur Christus ad festinationem, qua Zachaeus *praeveniens ascendit ad arborem*. q. d. sicut festinasti, ut ascenderes ex curiositate, festina descendere, ut ex charitate me recipias. Sylveira hic.

*Hodie mecum eris in paradiso.* Luc. 23. 43. Promptus erat laico ad poenitentiam, & Christus promptus ad praemium. Paoletti D. Quinq.

*Tu solus peregrinus.* Luc. 24. 18. Merito reprehendendus peregrinus tantorum mysteriorum ignarus; sed Discipuli erant illi peregrini. Dominus in eam se ponebat formam, quam illi in credulitate sua habebant. S. Greg. hom. 23. in Evang. hoc egit Dominus in oculis corporis, quod apud ipsos intus erat in oculis cordis: quod ipsis in animo suo erat, hoc illis videndum in se Dominus, extrinseus, & manifeste, exhibebat. Baeza l. 5. c. 3. §. 4.

*Erat qui dam Regulus.* Jo. 4. 46. Talis est erga homines Deus, quales erga Deum homines. Erat quidam regulus, propter paucitatem fidei, ait Glossa, & V. Beda. Parcus in fide erga Deum, parcum habet in titulis. Did. Niss. D. 10. Pent. §. 2.

*Manete in me, & ego in vobis.* Jo. 15. 4. Si enim nos prius manemus in Christo per fidem, & charitatem; etiam absque dubio ille in nobis manet per suam gratiam. Talem se nobis Deus praebet, quales nos erga eum exhibemus. Sylveira in Jo. 15. q. 7.

*Non sciebat, quia JESUS est.* Joan. 20. 15. *existimans, quia hortulanus esset.* Ait ille: *mulier, quid ploras?* cur non dicit Magdalena? quasi de incognita dicit *mulier*. S. Ambr. quando non credit, mulier est;

quando converti incipit, Maria vocatur. Paoletti D. Quinq.

*Vidit JESUM stantem.* Act. 7. 55. S. Ambr. in Pf. 71, immobilis fide Stephanus immobilem Christum videbat: non se movit Stephanus, non movit se Christus.

*Mulier amicta sole.* Apoc. 12. 1. Quorsum in matrem tam sumptuosus apparatus: ut etiam in sole, luna, & stellis, decor requiratur? Nil mirandum, ait S. Bern. hom. sup. Miss. qualis erga Filium mater, talis erga Matrem Filius. Vestis eum, & vestiris ab eo, ait, vestis eum de substantia carnis tuae, vestit ille te gloriae majestatis suae; vestis solem nube, & sole ipso vestiris. Paoletti. D. Quinq.

### Ex Patribus.

Sicut speculum ad usum aptè comparatum purà in superficie aspicientis faciei accuratè reddit characterem. Sic postquam anima seipsam rectè comparavit, omnemque ejus vitæ labem abiecit, puram incorruptæ pulchritudinis sibiimetipsi imprimens speciem dicit: meus est cognatus, & ego ipsius sum. S. Greg. Naz. hom. ult. in Cant.

Dico Domino meo: Deus meus es tu; & dicit mihi Dominus meus: ego Dominus Deus tuus. Homo, cujus Deus, quid amplius quaerit? si sufficis tu Deo; sufficiat tibi Deus: esto tu Dei; & erit tum DEUS tuus. Sanct. Cyprianus de Ascens. Chr.

Qualis te paraveris Deo, talis apparet Deus. Cum amante est amans, cum vacante vacans, sollicitus cum sollicito. S. Bern. l. 70. in Cant. apud Paoletti Dom. Quinq.

Quando uti homines morimur, humanis peccatis obnoxij; ut homo nobis apparet Deus. Quando autem ut dii ambulamus; tunc stat *Deus in synagoga deorum.* Pf. 81. 1. Sicut & quando ferarum naturam assumimus, fit & ille nobis panthera, & ursus, & leo. Theophylactus in c. 21. Matth.

### §. XI.

#### Peccator non est Dei.

#### Ex Veteri, & Novo.

*Descende, peccavit populus tuus.* Ex. 32. 7. Acl ei divina vox diceret: qui in tali peccato lapsus est, jam meus non est. S. Rupert. hic c. 27.

*Pepercit populus melioribus ovibus, & armentis, ut immolarentur Domino Deo suo.* 1. Reg. 15. 15. Dixit Saul ad Samuelem. Non dixit Domino Deo meo: quia Deum à se, propter inobedientiam, alienum esse suspicabatur. Mendoza in 1. Reg. 1.

*Deus meus.* Pl. 5. 3. Ille verè ausus est dicere, *Rex meus, & Deus meus*: cui non regnat peccatum in mortali corpore. *Rex meus, & DEUS meus*: quia regnas in me, & non regnat peccatum: propterea Deus meus es. Tu es Deus meus: quia non est venter Deus meus: quia non est aurum Deus meus: quia non est libido Deus meus. Quoniam tu virtus es, & ego cupio habere virtutes;

propterea tu es Deus meus; hoc est, virtus mea. S. Hieron. hic.

*Miserere mei Deus.* Pf. 50. 1. Non audeo dicere meus. Solummodo te Deum agnosco; sed meum dicere non praesumo. Ego infelix propter peccata mea te perdidit. Urbanus IV. Pontif. hic.

*Tuus sum, salva me Domine.* Psalm. 118. 94. Facilis vox, & communis videtur; sed paucorum est. Satis rarus est enim, qui potest dicere Deo, *tuus sum*. Ille enim dicit, qui adhæret Deo totis sensibus; qui aliud cogitare non novit. Non potest dicere Sæcularis, *tuus sum*: plures enim dominos habet. Venit libido, & dicit, *meus es*; quia ea, quæ sunt corporis, concupiscis -- Venit avaritia, & dicit: argentum, & aurum, quod habes, servitutis tuæ pretium est. -- Venit luxuria, & dicit: *meus es*. Unius diei Convivium pretium tuæ vitæ est. Et, quod pejus est, pretiosior est unius diei mensa tua, quam totius temporis vita. S. Ambr. in Pf. 118. Octon. 12. hic.

*Puer meus jacet.* Matth. 8. 6. Quomodo hic Centurio, qui sic agnoscit Dominum, puerum suum ausus est profiteri? *puer meus*. Meum dico, quia jacet: si tuus esset Domine, non jaceret. Probat hoc propheta, cum dicit: *ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini, qui statis in domo Domini*. Puer meus, qui jacet; ut tuus sit, surgat: meus, quia paralyticus; ut tuus sit, jam sanetur. S. Chrysol. l. 15. de Centur.

*Er ira populo huic.* Luc. 21. 33. Non ait, populo meo: quia jam reprobat Israel. Olival. 13. Strom.

*Gratias ago Deo meo.* Rom. 1. 8. Non est otiosè accipiendum: non enim vox ista potest esse, nisi sanctorum, quorum Deus dicitur: sicut Deus Abraham, vel Isaac, vel Jacob. Non potest Dominum Deum suum dicere, cui Deus venter est; aut cui avaritia Deus est; aut cui gloria Sæculi, aut pompa Mundi, aut potentia rerum caducarum, Deus est. Quidquid enim unusquisque super cætera diligit, hoc illi Deus est. Orig. hic.

Propriè eorum est Deus, qui eò fruuntur; qui serviunt, qui libenter sub ipso sunt: nam & mali, quamvis inviti, sub illo sunt. S. Aug. in Psal. 139. 7.

## §. XII.

*Deus solus satiare potest animam.*

*Ex Veteri.*

*Dominus pars hereditatis mee.* Pf. 15. 5. Eligant sibi alij partes, quibus fruuntur, terrenas, & temporales; portio Sanctorum Deus æternus est. Bibant alij mortiferas voluptates; portio calicis mei Dominus est. Sanct. Aug. hic.

*Super aquam refectiois educavit me.* Pf. 22. 2. Estne aqua, quæ non reficit? ita plane: nec enim aquæ maris potabiles. Gilbert. l. 4. in Cant. solus ille animæ refectio est, qui finis est omnium. Escobar t. 1. in Matth. 8. Obf. 3.

*Deus, Deus tuus ego sum.* Pf. 49. 7. Bo-

ni sunt in Deo, quasi in centro; ipse enim est centrum omnium: mali verò sunt in circuitu ejus, non accedentes ad eum per recta opera. Hugo Card. hic.

*Quid mihi est in celo?* Pf. 72. 25. quid pulchri? quid pretiosi est, quod appetam in celo? & à te quid volui super terram? q. d. nihil creatum invenio, quod mihi satisficiat; nihil, in quo cor meum penitus acquiescat. Bellarmin hic.

*Dilata os tuum &c.* Pf. 80. 11. Quid est os interioris hominis, nisi desiderium cordis? Sed hoc os omnes Ægypti delicia implere non possunt: quia omnes divitiæ; Mundi carnali desiderio satisfacere nequeunt. Vide, quam parva portio humani corporis; & quam angustum foramen sit os carnis. Quis non videat, quam parvum est, quod unâ panis buccellâ impleri potest. Quod est igitur una buccella ad os carnis; hoc est totus Mundus, imò multò minus, ad os cordis. Rich à S. Vict. hic. Si orbis terrarum latitudini cordis unius comparetur; quid aliud capacitatis, vel aviditatis, illius comparatione, quam parva quædam buccella esse videtur. Id. de Miss. S. Spir.

*Mundum tradidit disputationi eorum.* Ecclæ. 3. 11. Hebr. *tradidit in corde eorum*: ut homo secum disputans, & ratiocinans, de vanitate Mundi; deque temporum, rerumque omnium temporalium successione, rotatione, & transitu: & ex alia parte de Dei veritate, constantia, æternitate, & omnimodâ perfectione; inde concluderet, sibi que diceret: ergo cor tuum, & amorem tuum avoca à Mundo, & transfer, ac defige, in Deum: ille enim solus immensum tuum sciendi, & amandi, desiderium, satiare, & beatè, potest. Cornelius hic.

*Transferunt omnia illa tanquam umbra.* Sap. 5. 9. Cum sol ad occidentem pergit, quò magis occidit, eò magis umbræ accrescunt. Quæcunque res corporea, etiam exigua, umbram magnam efficit. Cum verò sol in meridie est, omnes umbræ sunt minimæ. Sic contingit nobis: quò magis Deus à nobis recedit, eò majores nobis apparent res, & honores, Mundi. Quando verò Deus in medio hemisphærij, id est, cordis nostri, commoratur; tunc omnes umbræ sunt minimæ. Cum enim sic possideatur, illuminatur, & à Deo inflammatur; omnia minima & quasi nihil, esse ducit. Et hoc est, quod sponsa significat Cant. 2. 3. *Sicut malus inter ligna sylvæ, sic dilectus meus inter filios*. Arborea sylvæ sunt, robora, rubus, illices, & quercus; quæ suavem fructum non proferunt. Vult igitur dicere: quidquid est in Mundo, præter DEUM, animæ est fructus sylvæ, glandes duræ, & amaræ. Dixit D. Palmar.

*Ego flos campi.* Cant. 2. 1. Tigurina: *ego sum rosa Saron, & liliæ gaudens vallibus*. Saron interpretatur *saturitas*, vel *abundantia*. Cornelius hic. Vatablus addit: Solus JESUS rosa est Saron, id est, saturitatis: quemadmodum Deus dicitur Sadai, copia omnium bonorum.

En

## Ex Novo.

*Cum sedisset.* Matth. 5. 1. Sedet, ad quietem mentis, ex doctrina Christi hominibus affuturam. In eo Pater æternus quiescere voluit, & omnium hominum mentes. Sufficit enim omnibus præter omnia; & cuncta sine ipsò deficiunt. Sim. Cass. l. 10.

*Porrò unum est necessarium.* Luc. 10. 42. Porrò hoc est illud necessarium, in quo est omne bonum; imò quod est omne, & unicam, & totum, & solum bonum. S. Anselm. Prologij c. 23.

*Fili, tu semper mecum es &c.* Luc. 15. 31. S. Chrysol. f. 4. hoc est dicere: patere illum rediisse patri; permittit patri filium suscepisse: nec ille aliud, quam patrem quaesivit; qui veniens non filij, sed mercenarij loco voluit collocari. Sint tibi omnia, illi sufficit pater. Licet omnis turba amicorum circumstet, licet omnia bona affluant; si unus Deus abest, nullum solatium esse potest. Sylveira hic.

*Ut cum amicus meis epularer.* Id. ib. S. Hier. ep. ad Damasum: erras ô Israel! dic potius, ut tecum epularer. Aut potest tibi esse aliqua jucunditas, nisi patre tecum celebrante convivium?

*Si quis sitit.* Jo. 7. 37. Satiare vult Christus desideria nostra, quæ signantur in siti; porrò aliunde satuari non possunt. Sim. Cassian. l. 11. c. 31.

*Ostende nobis Patrem, & sufficis nobis.* Jo. 14. 8. Non petit Philippus ostendi sibi mansiones in caelo; sed *Patrem*: quia certè sciebat, quòd, Patre ostensò, omnia bona possideret. Prodigus fame, & ærumnis, confectus ait Luc. 15. 18. *surgam, & ibo ad Patrem meum.* Non ait, ibo ad domum Patris mei, in qua omnia abundant; sed *ad Patrem*: sciebat, quòd cum Patre omnia esset habiturus. Sylv. in Jo. 14. q. 11.

*Repleti sunt omnes Spiritu Sanctò.* Act. 2. 4. Didymus l. 1. de S. Spir. ex eo, quòd spiritu sanctò repleti dicantur Apostoli, probat ejusdem divinitatem: nemo autem, ait ille, sive in Scripturis, sive in consuetudine, plenus creaturà dicitur.

## Ex Patribus, &amp; aliis.

Si cuncta, quæ fecisti, mihi dederis; non sufficit servo tuo, nisi te ipsum dederis. S. Aug. Man. c. 3.

Quidquid adest nobis, præter Deum nostrum, non est dulce. Nolumus omnia, quæ dedit, si non dat te ipsum, qui omnia dedit. S. Aug. in Pl. 85.

Ad imaginem Dei facta est rationalis anima. Cæteris omnibus occupari potest, repleti omnino non potest.

Capacem Dei, quidquid Deò minus est, non implebit. S. Bern. Declam. sup. Evang. ecce nos reliqu. &c.

Nihil est in rebus, quod possit replere creaturam factam ad imaginem Dei, nisi cha-

ritas Deus, qui solus major est illà. Id. f. 15. in Cant.

Quidquid præter Deum quaeritur, mentem occupat, non satiat. Solus Deus explebit desiderium tuum; in solo Deo veram requiem invenies. Ipse est *unum* illud *necessarium*, & summum illud bonum; in quo omnium eorum, quæ pulchra sunt, quæque delectant; plenitudo, & perfectio, consistit. Blosius parad. animæ c. 15.

*Sol. Lem: Omnibus sufficit, Deus meus, & omnia!*

Carolus nonus Galliarum Rex pretiosum monile cuidam fœminæ dedit his verbis inscriptum: qui me possidet, nullius eget. Isidorus Orig. l. 16. c. 13.

## §. XIII.

*Etiã DEI dona satiant, & implent.*

## Ex Veteri, &amp; Novo.

*Chabitis eos ex adipe frumenti, & de peramelle saturaviz eos.* Pl. 80. 17. Mirabar, quòd Dei Angelus, quòd Dei stella, quòd Dei mica, afferat hominibus saturitatem, & plenitudinem. Sed vide, quid mirare magis? *de peramelle saturaviz eos.* Quam in nullis Mundi bonis reperies, vel in Divinæ domus petra plenitudinem invenies. Baeza l. 1. cap. 7. §. 18.

*En lectulum sexaginta foras ambiunt.* Cant. 3. 7. Ubi Nissen. hom. 6. & Richardus Victorinus, caelestem quietem intelligunt: in qua, qui labore improbò hic desudabant, requiescunt. Sed cupis scire, quanta sit hæc requies? en, inquit, *lectulum*, non magnum stratum; sed vel minimus lectulus Dei ingentes creaturaru animos fatiat. Idem ibidem.

*Et catelli comedunt sub mensa de micis.* Marci 7. 28. Sapiens illa Chananæa vel unam micam requirebat è divinis manibus. Quæ mulieris petitiò? tota egens erat, & unam tantum à Christo petijt micam? Noverat, quòd à Dei manibus vel mica integram boni plenitudinem affert. Baeza l. 1. c. 7. §. 18.

*Et saturati sunt.* Marci 8. 8. Nemo, nisi quem JEsus alit, dicitur *saturatus*. Neque fieri potest, ut anima satietatem accipiat ab his, quæ inania sunt. Optima saturitas, gratia; neque fastidit animam; vel amplioribus; & suavioribus, desiderijs angit. Sim. Cass. l. 5. c. 4. Non casu additum: *& saturati sunt.* q. d. saturati sunt, quia manducaverunt ea, quæ Deus illis apposuit. Qui autem temporalia quaerunt, minime satari possunt. Siliquæ implent; non satiant. Pinna in Eccl. Ethol. 151.

*Distribuit discumbentibus quantum volebant.* Jo. 6. 11. Manus Christi plenitudo bonitatis est. S. Ambr. in Pl. 43. Christi epulum humanæ voluptatis appetitum exfatiat. Eicob. t. 1, mir. Chr. Obs. 4.

Vide tit. Dona.

## §. XIV.

## §. XIV.

## Extra DEum nihil sariat.

**Q**ui biberis ex hac aqua, sities iterum. Jo. 4. 13. S. Aug. in Pl. 102. bonum tuum quære, sitiens anima. Etenim bonum aliud alteri; & omnes creaturæ habent bonum suum. Quære tuum bonum, summum bonum: hoc est bonum tuum. Sunt & inferiora bona, quæ alijs bona sunt. Pecori quid est bonum, nisi implere ventrem, bibere? tale tu bonum quæris cohares Christi? non satiaberis.

Erige spem tuam ad fontem bonorum omnium.

Orbis terrarum respectu animæ est quasi una gutta roris; unde non potest animam replere. S. Thom. opusc. 38. c. 9.

Totus Mundus sensibilis ad animæ ventrem quid est, nisi bolus exiguus? nam si mille millia Mundorum adjeceris, eum non implebunt. Patuit in Alexandro &c. Gerson S. in Cœna Dom.

*Justus comedit, & replet animam suam; venter autem impiorum insaturabilis.* Prov. 13. 25.

## TITULUS V.

## DIABOLUS.

## §. I.

## Symbola, Similitudines.

## Ex Veteri.

**L**ignum vitæ. Gen. 2. 9. est Christus; lignum mortis est diabolus. Sanct. Chryf. in Psalm. 1.

*Si masculus fuerit, interficite.* Ex. 1. 16. Quod Pharao parvulos Hebræorum pueros jubet interfici, & foeminas reservari; diaboli utiq; speciem præferens inimicus spiritui, & amicus carni; invidens virtuti, consentiens voluptati; fortitudinem præfocabat, concupiscentias nutrebat. B. Casarius Arel. hom. 2. de Pascha. Pharao figuram habuit diaboli, qui in hujus sæculi captivitate populum Dei perdere, & terrenis vitiorum operibus prægravare tentavit. S. Isidorus in allegor. S. Scripturæ.

*Immolabitq; ad latus altaris &c.* Levit. 1. 11. Aquilo diabolus significat; qui dixit H. 14. 13. *Sedebo in lateribus aquilonis.* Hunc aquilonem respicit latus charitatis: quia videlicet nihil diabolo sic contrarium est, quomodo latitudo charitatis. Sanct. Rupert. l. 1. hic.

*Surge aquilo, & veni Auster.* Cant. 4. 16. S. Greg. quid per aquilonem, qui in frigore constringit, & torpere facit; nisi immundus spiritus designatur: qui reprobos omnes dum possidet, à bono opere torpere facit. S. Greg. apud Cornel. hic. Diabolus dicitur aquilo propter tentationis impetum: quia impedit boni operis fructum. Siccat lacrymarum fluvium. Prov. 25. 23. *ventus aquilo dissipat pluvias.* S. Thom. in Jer. c. 1.

*Dagon.* 1. Reg. 5. 26. interpretatur *piscis tristitia*; eisdem qui *Leviathan* Job 40. 20. V. Beda hic.

*Naas.* 1. Reg. 11. 2. Hebr. *serpens*, idem est diabolus; qui dextros suorum oculos eruit; quando abstinentibus à se devictis sic per gulam prævalet, ut carnalia solum cupiant; & spiritualia, quæ amare solebant, non attendat. S. Greg. & Beda apud Cornelium hic.

*Ipse liberavit me de laqueo venarum.* Pl. 90. 3. Ergone bestię fumus nos? bestię

profus: homo enim, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus &c. Pl. 48. 13. Sed qui sunt venatores isti? venatores utique pessimi, & nequissimi, & callidissimi, venatores - ipsi rectores sunt tenebrarum &c. S. Bern. f. 3. hic.

S. August. l. 63. de diversis, vocat diabolus magnum Mundi venatorem. Diabolus velut venator robustissimus, & auceps callidissimus (malos) velut indices sibi ad capiendas, si potest, etiam sanctas animas, aptat, & præparat. Sanct. Casar. Arelat. hom. 31.

*Fugit impius nemine persequente.* Prov. 28. 1. S. Hier. in Michæ 2. Nemine, id est, damone persequente.

*Perdix fovit, qua non peperit.* Jerem. 17. 11. Clamavit perdix; congregavit quæ non peperit. Impurum, & malevolium, ac fraudulentum animal, adversario, & circumscriptori generis humani, fallacissimoque, & impunitatis auctori, conferendum putatur Sathanæ. Clamavit ergo perdix, qui à perdendo nomen accepit. S. Ambr. ep. 48.

## Ex Novo.

*Et venerunt volucres cæli.* Matth. 13. 4. Diaboli dicuntur volucres cæli. I. ob subtilitatem naturæ. II. propter habitationem eorum in aere caliginoso III. ratione inordinati ascensus eorum ad alta ex tumore superbiæ. Dion. Carth. hic.

*Dedit vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones.* Luc. 10. 19. Serpens id est, damones; qui habent venenum in ore, ut serpentes; & in cauda, ut scorpiones: quia actionem bonam nituntur corrumpere in principio, & in fine. In principio, intentionem corrumpendo; in fine, vanam gloriam suggerendo. Apoc. 9. 29. *potestas equorum in ore eorum est, & in caudis eorum.* Hugo Card. in Luc.

*Adhæsit uni civium.* Luc. 15. 15. quem ego non alium, quam unum ex malignis spiritibus intelligendum puto. S. Bern. f. 8. de divers. affect. animæ. Ità etiam intelligunt S. Aug. l. 2. 99. E-

99 Evang. q. 33. S. Hier. V. Beda. apud Sylveiram hic.

*Dabo illi stellam matutinam.* Apoc. 2. 28. Aretas, Andreas Cæsar; diabolum intelligunt, juxta illud Is. 14. 12. *quomodo cecidisti de celo Lucifer?* Promittit Dominus juxta hanc sententiam victori, dandum illi diabolum calcandum sub pedibus. Quod peccator Paulus Rom. 16. 20. *Drus pacis conterat Sathanam sub pedibus vestris velociter.* Sylveira hic.

### Ex Patribus.

Avis propterea diabolus vocatur, quia per superbiam ad alta sustollitur. S. Isidorus l. 3. sentent. c. 5. Dæmones, propter volatum superbiam, & agilitatem naturalis potentiam, volucres appellantur. S. Thom. in c. 15. Gen.

#### §. II.

### Diaboli varia vocabula Ex Novo, & Patribus.

**Nimicus homo hoc fecit.** Matth. 13. 28. Dæmon dicitur homo à devicto homine: sicut Scipio Africanus à devicta Africa. Hugo Card. hic. *Qui regnare facit hominem hypocritam.* Job 34. 30. Potest diabolus homo iste intelligi; qui, perditâ angelicâ dignitate, hominis nomen sortitus est; de quo Dominus ait: *nimicus homo hoc fecit.* V. Beda l. 3. in Job. c. 3. De hoc David Ps. 9. 20. *exurge Domine, non conforsecur homo.* Nimicus homo diabolus est. Sim. Cass. l. 6. c. 3. non quòd diabolus homo, aut homo diabolus natura sit; sed officio pravò, & similitudine malâ. Nam & de Juda Salvator ipse dixit: *unus ex vobis diabolus est;* ut homo diabolus, & diabolus homo, ex malitia meritò dici possit. Id.

**Spiritus immundus. Erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo.** Marci 1. 23. Per hoc, quòd spiritum hunc immundum appellat, secernit illum à cæteris omnibus rebus, quæ spiritus nomine designantur. Nam & aër, & anima, & spiritus administratorij, hoc est, angeli; & ipse etiam Spiritus Sanctus, spiritus vocantur. Nè ergo ob communem illam notionem in aliquam hæsitacionem in cederemus, dæmonium hoc spiritum immundum nominat. Dicitur autem hic spiritus immundus propter obstinatam in impietate mentem, foedamque à Deo defeccionem; tum maximè, quòd obscenitatis, flagitiositatisque, operibus mirifice delectatur. Victor Antiochenus hic.

**Et illud erat mutum.** Luc. 11. 14. Quomodo dicitur diabolus mutus? ab effectu. Sicut Spiritus Sanctus nomen assumit à bono, quod in anima operatur. Il. 11. 2. *requiesce super eum spiritus sapientia &c.* quia sapientiam, & reliquas virtutes, in anima operatur. Sic dæmon nomen assumit à malo, quod in homine operatur. Diez. D. 3. Quadr.

Rex locustarum, Apoc. 9. 11. *Angelus abyssi, Belzebub,* hoc est, *muscarum Deus.* Poljanib. Sacr. Tom. I.

Behemoth ex Hebr. *Dracornus* Apoc. 12. 3. propter fraudem, & malitiam, inquit Viegas, & Alcazar; vel, ut Ribera, rufus propter crudelitatem, & cædes. *Sathan* Job. 1. 6. *Leviathan* Job. 3. 8.

Ex eo Sathanas dicitur, & est: ex quo ad-versari cœperit Verbo Dei, & inter Angelos seditionem fecit; turbator pacis *diabolus*, id est, *deorsum fluens.* Post hæc egit, cur meritò vocetur *serpens antiquus* Apoc. 12. 9. videlicet quando primum decepit hominem, serpente ingressus. Rupertus de vict. Verbi l. 1. cap. 6.

Sub eo sunt omnes, qui in peccato nascuntur: est enim princeps peccatorum. S. Isid. Originum l. 6. c. 19.

Vitiorum omnium dux, atque imperator, diabolus. Sanct. Gregor. Niss. l. de vita Moyf.

S. Rupertus l. 13. in Matth. vocat diabolus: tenebrarum principem, præpositum noctis.

#### §. III.

### Diabolus quàm sædus, & horribilis.

**SI videres dæmones, sicut sunt, morereris** per subitanam mortem, propter terribilem visionem eorum. l. 2. Revel. Sanct. Brigitta.

Interrogata eadem Sancta: cur dæmones non appareant visibiles? respondit: si eorum horribilis deformitas videretur, ex ipso visu extra sensum fieret; corpusque totum quasi hominis tremuli contremisceret; cor etiam totum, quasi timore exanimatum, moreretur; nec pedes sufficerent sustentare membra reliqua. l. 5. Revel.

Quidam Religiosus rogavit Dominum, ut dæmonem in sua forma posset videre; ut plus eum, & ejus opera, impostero detestaretur. Soli igitur afficit diabolus; quem ut vidit, statim amens factus est. De alio scribitur: cum jaceret in extremis, & videret dæmones circumvenire; postea ad statum suum rediens dixit: quòd si esset ignis ab Oriente ad Occidentem, libentius per illum transiret, quàm illam visionem iterum videret. Summa prædicant. Diabolus.

Ex mago quodam importunis precibus exorâsse ajunt curiosum aliquem virum, sibi ut dæmonem spectandum præberet, nec quidquam illò dissuadente. Eminus igitur nefrendem conspexit in volutabro luti adeò deformem, ut eò conspectò confellum exanimis corruerit, & post paulò expiravit. Doultreman l. 2. c. 3. sect. 3. de trillitia Christi.

#### §. IV.

### Diaboli malitia, & obstinatio.

**DIU SIT LUCEM, à tenebris.** Gen. 1. 4. Di-visio ista lucis, & tenebrarum, terribile Dei judicium super diabolum esse factum insinuat. Rupertus hic.

*Si cadens adoraveris me.* Matth. 4. 9. Mali angeli præcipiunt adorari se. Cassiod. in Pf. 96. Verba diaboli. In veritate: si possem sumere corpus mortale; magis in eo vellem pati omnem poenam, & omnes insuper poenas Inferni, quam charitatem vertere ad Deum. In Revel. extravagant. S. Brigittæ c. 62.

## §. V.

*Diaboli odium contra homines, & invidia.*

**P**ercussit Job ulcere pessimo. Job 2. 7. Cum diabolus percussit, non communi ulcere, sed pessimo affligit. Escobar t. 3. coll. Chr. Obs. 7.

*Cibus ejus electus* Habac. 1. 16. Perinde ut hominum cibus, est salus à Deo pacta; sic epulæ Sathana hominum est interitus. Theophyl. hic.

*Dic, ut lapides isti panes fiant.* Matth. 4. 3. Lapidés esuriens offert. Humanitas talis est semper inimici: sic patit mortis author, sic invidus vitæ. S. Chrysol. f. 11.

Non dixit, ut ex lapidibus capones &c. faceret, sed panem: nam dæmon, si te parvâ recapere possit, non dabit pretiosam. Filio prodigo nec filiquas dabit; voluptates suis in mensura tribuit. Stella in Luc. 4.

*Venisti huc ante tempus torquere nos.* Matth. 8. 29. Cum dæmones torqueantur mox ab initio Mundi; cur dicunt *ante tempus*? Hugo Card. hoc erât eis læsio, quod ab obsessis exire cogebantur. S. Hier. magnum tormentum est ei, à læsione hominum cessare. Pinna in Eccl. Ethol. 103.

*Filia mea male à demonio vexatur.* Matth. 15. 22. Quam crudelis dæmon tyrannus! quam horribilis tortor! hinc gehennæ diritas confirmatur. Escobar. t. 3. colloq. Chr. hic Obs. 7.

*Adjuro te per Deum, nè me torqueas.* Marci 5. 7. Quale hoc tormentum? dicebat enim illi v. 8. *exi spiritus immunde ab homine.* Tamen non tendebatur in tortura, sed solum ab humano corpore pellebatur; cur petit ita non torqueri? Sic diabolus humanam perditionem sicut, ut, cruciandi hominem opportunitate carere; summum suum reputet cruciatum. S. Chrysol. 17. hic adorat evadere cupiens poenam; prædam perdere pertimescens. Sylveira in Apoc. 2. q. 61.

*Venisti perdere nos.* Luc. 4. 34. Velut inficiabiles ad malum, & ad poenas hominibus inferendas; torturam existimant, quia pelluntur à corporibus hominum. Magis autem, quia, Christo vocante homines, expelluntur à sedibus animarum. Hoc habet proprium obstinata crudelitas; ut poenam patiatur, si poenam non inferat. Sim. Cass. l. 5. c. 8.

*Quod sibi nomen est? & ille ait legio.* Luc. 8. 30. Dæmones militare nomen sibi arripunt: quia perpetuò bellant in homines. Pinna in Eccl. Ethol. 103.

*Videbam Sathanam sicut fulgur de celo cadentem.* Luc. 10. 18. q. d. timete Discipuli

mei, quia dæmon de celo instar fulguris descendit. Cur, ad incutiendum timorem, non dicit lapsum ut saxum, aut lanceam, aut ignem? Quando fulgur descendit, quæ fortius illi obstitunt, ea gravius ferit: hinc, salvâ vaginâ, gladium in cinerem vertit. Ideo ergo timendus: quod, parcens corpori, stragem facit in anima; & illasâ vaginâ, conficit gladium, qui est spiritus. Did. Niff. f. 5. D. 1. Quadr.

*Potestas equorum in ore eorum, & in caudis eorum.* Apoc. 9. 19. Omni ætati insidiantur; pueritiæ, & senectuti, Pinna in Eccl. Ethol. 103.

*Va terra, & mari! quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam.* Apoc. 12. 12. Mens S. Chrysof. est, diabolum, ubi accepit torquendi Jobi facultatem, per se ipsum omnes calamitates præparasse: cum nemo, inquit, reperitur immanior, earum rerum negotium dare alijs verebatur. Escobar. t. 3. Coll. Chr. Obs. 7.

Quia meminit exul cœli, quid agatur in cœlo; quanta homini trementi sermones Dei præparetur remuneratio; Zeli indicat magnitudo. Prodit gloriam, dum exercet invidiam. S. Calarius hom. 3. de Pascha.

Nihil est unde magis doleant; nihil est, quod magis ingemiscant, quam bonum nostrum, quam profectum nostrum. Penè plus odiunt bona nostra, quam tormenta sua: imò malunt quotidie tormenta sua augere; quam nostra bona, quam merita nostra, non minuere. Rich. à S. Vict. annotat. in Pf. 2.

Sicut divites denarijs; sic dæmones animalibus insidiantur. Sanct. Bonavent. f. 2. ser. 3. Pent.

## §. VI.

*Diabolus DEI providentiâ nobis prodest.*

**E**xagitabat Saullem spiritus nequam. 1. Reg. 16. 14. Cur vocatur hic spiritus nequam? forsan dæmon aliquis bonus est? ut nequam ab hoc distinguatur? Resp. ita est: sunt enim etiam boni, nec tantum mali, dæmones. Dæmon Saulis spiritus nequam dicitur, quia illum ad peccandum incitabat, ut Deum per invidiâ cœlus offenderet. Non est mihi malus dæmon, si ab illo vinci me non patior; quin bonus, si obfisto. Dum enim plurimum vult sibi in me juris usurpare; solum occupare corpus, sed non penetrare ad animam potest. S. Hilation (ut est apud S. Hier.) percunctatus dæmonem, qui se Virginis cujusdam corpori insinuârit: quare ausus fuerit puellam Dei ingredi responsum accepit: ut servarem eam Virginem. Did. Niff. Sabb. post D. 2. Quadr.

*Ecco trado tibi eum, veruntamen animam illius serva.* Job. 2. 6. Magna potestas! magna gratia! quæ imperat diabolo, ut se ipse destruat. Se enim destruit, dum hominem, quem tentando supplantare studet, ex infirmo fortioem efficit: quia, dum carnem debilitat, mentem ejus corroborat. -- Quod nocet corpori, juvat spiritum. Manducet erga terram meam serpens, dentes

dentes carni infigat, conterat corpus. Dicit Dominus, & de me: trado tibi eum, tantum modo animam ejus custodi. Quanta vis Christi! ut custodia hominis imperetur etiam diabolo, qui semper vult nocere. Dominum ergo Jesum nobis propitiemus. Imperante Christo & diabolus ipse sit praeae suae custos; vel invitus mandatis obsecundat caelestibus. S. Ambr. l. 1. de poenit. c. 13.

*Malè à demonio vexatur.* Matth. 15. 22. Videtur supposituisse fervens mulier, quod sint demones, qui vexent benè; cum dicit, filiam suam à damone malè vexari. Id ita est. Non malè nos vexat daemon, qui corpus torquet, mutilat membra, carnem afficit; sed qui ad peccandum invitavit, & voti compos fit. Et hoc sensu dicere possumus; non condolendum his, quorum corpora invasit daemon; sed quorum animas obtinuit. Etiam venena praeprantur arte medicâ in pharmaca. Ita S. Paulus cum incæstuoso illo Corinth. egit 1. Cor. 5. 5. *judicavi tradere hujusmodi Sathanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit.* Et cum Hymenæo, & Alexandro, 1. Tim. 1. 20. hominibus sacrilegis, & blasphemis; *quos tradidi Sathanae, ut discant non blasphemare.* Did. Niss. f. 5. D. 1. Quadr. § 5.

Cogitur adversarius sanctos Domini, ad sua damna, tentare. Dum enim tentat, meliores facit; ut, qui tentatur, possit alios instruere, qui sibi ipse invalidus videbatur. Sanct. Ambros. in Pl. 43.

Quia gloriosus princeps despexit esse in palatio, fecit eum Deus laboriosum fabrum in hoc Mundo; ut coactus totis viribus serviat, qui vacare, Deo fruendo, nolebat. Unde dicitur Job. 40. 23. *accipies eum servum sempiternum.* Cujus fabri caminus est afflictio, & tribulatio; folles, & mallei, sunt tentationes, & suggestiones; forcipes, sunt tortores, & persecutores; lima ferrea, sunt linguæ maledicentium, & detrahentium. Tali caminò, & his instrumentis, purgat ipse aurea vasa caelestis regis. Hæc sunt Electi, in quibus renovat imaginem Dei. S. Anselm. in Elucidario.

Tenet Deus imperium & super diabolum. Permittit autem illi vivere duabus de causis: ut ille magis quidem confundatur, homines autem confundantur. O sapien-tissimam providentiam! quæ malum etiam propositum in salutis occasionem convertit. Quemadmodum enim illorum fratrum, Joseph odiò persequentium, malam voluntatem, accepit occasionem propriæ administrationis; & permittens ipsis ex odio vendere fratrem, occasionem accepit efficiendi, ut regnaret. Quos dilexit, cum his sic permittit Diabolum luctari, ut vincentes coronentur; & factâ victoriâ, major quidem virtus à minore vincatur: homines autem magnificè probentur; cum eum, qui aliquando fuit Archangelus, vincunt. S. Cyrill. Jerof. Catech. 8.

Diabolus sibi ipsi, non nobis, est malus: nos enim, si velimus, plura etiam commoda per il-

*Polyanth. Sacr. Tom. 1.*

lum, perque ipsius nequitas, consequimur, illè etiam invitò, ac renuente: quod est profectò mirabile; & in hoc divinae bonitatis magnitudo conspicitur. Sanct. Chrysof. l. 1. de provid. Dei.

S. Bernardus, ut refert vitæ ejus Scriptor, cum dissidium quoddam sopiturus curram conscendisset; ejus in itinere rotam unam cacodæmon, pacis inimicus, confregit; & in campis medijs, longè ab omni humano auxilio, abjecit. Sensit veteratoris fraudes vir sanctus, & post exiguam precationem, divinitus roboratus, jussit cacodæmonem sese currui subjicere, & rotæ vires supplere. Paruit infelix vel invitus, lepidissime vehentibus præbuit in ascitio corpore, ac formâ, spectaculum; & sanctum virum, què intenderat, spe citius devexit. Doultremân. l. 1. c. 2. sect. 6.

#### §. VII.

#### *Diabolus debilis vincit nos nostrâ ignaviâ.*

*Nè forte moriamur. Nequaquam moriemini.* Gen. 3. 2. 4. Dominus affirmavit, mulier dubitavit, diabolus negavit. Hugo à S. Viçt. l. 1. miscell. tit. 88. Damon venit ad Evam, trepidus, pusillanimis, desperans victoriam, quousque eam vidit hæsitantem de fide verborum Dei: tunc enim credere cepit, paulò post negaturam, quæ tam citò dubitare cœpisset. Iterum Hugo: si mulier non dubitasset, fortè diabolus non negasset; sed dedit audaciam, quæ inchoavit malitiam. Did. Niss. vit. Abrah. l. 4.

*Ipsa conteret caput tuum.* Gen. 3. 15. Tam facile conteritur caput serpentis, ut vel calce atteri possit; sed cauda difficillimè. Pinna in Eccl. Ethol. 211. Primos parentes non ursus, aut leo, sed potius serpens; callidior utique, non fortior cæteris animantibus, supplantavit. Nec mulierem vir, sed virum mulier. S. Bern. f. 11. de div. animæ affection. Videte rem miram in paradiso: cum Adam diabolus dimicat, ubique insidiatur homini, ubique congregitur: sed ubi mulierem non invenit, victus abscedit. Sanct. Ambros. f. 37. de Quadragesima.

*Et non poterunt hoc.* Ex. 8. 18. Cur magi, qui ranas, & majora, fecerant; non poterunt parvas sciniphes producere? Dico: a Deo fuisse impeditos demones: idque ut sic Dei potentia, & dæmonum imbecillitas, magis appareret: & quòd non dæmon, sed Deus nobis timendus sit; qui dæmonis vires cohibet, ut etiam in rebus parvis nocere non possit, nisi Deus permittat. Corn. hic.

Censet Sanchez, dæmonem fugatum fumo cordis piscis, Tob. 6. 5. quòd hæc suffumigatio rei tam vilis in dæmonis contemptum fiat, quem ipse superbus non ferens abit. Cornelius hic.

*Carul leonis dissipati sunt.* Job. 4. 11. Diabolus, ex sensu Jobi, Sancto Gregorio myrmicoleon dicitur, seu formica-leo; hoc est, formicis leo, formica leonibus: formicis, & timidis, quales reddit conscientia mala, leo ferox, & formidandus. Leonibus verò, id est, iustis, leonis instar confidentibus in Deum, formicam debiliorem est. Doultreman l. 1. c. 2.

*In Deo speravi, non timebo, quid mihi faciat homo.* Psalm. 55. 11. Sed vide propheta; esse præter hominem alios, quos timere debes; demones, inquam, qui tentationibus suis magnas sæpe adferunt molestias. Quidni ergo dicis: in Deo speravi; non timebo, quid mihi faciat daemon? Propheta, tanquam expertus, locutus est; itaque dixit pro singulari erga Deum confidentia, nequidquam timere hominum quascunque machinationes: ut qui sciret tutissimum se a demonibus fore, dum ab hominibus tantum securus esset. Nullæ enim sunt demonum vires, nisi eas auxiliares homines subministrant. Itaque existimo, demonem, si interrogaretur, quare, cum solus congregatur, sæpe irritò conatu pugnet? id responsum, quod Christo para ytesus Jo. 5. 7. *hominem non habeo.* Did. Niss. D. 3. Quadr. Fortis & daemon, sed hominis præsidio obarmatus. Unde S. Chryf. hom. 2. in ep. ad Rom. 1. de cæde Abelis ait: dux hujus belli erat Sathan, assumptò in militem Cainò Id. Niss. hic.

*Erude me ab homine malo.* Psalm. 139. 2. S. Hilarius hic: omnes insidias, quasunque nobis spirituales nequitie prætentant, maxime per homines aptantur; & occasiones vitij nostris alienæ naturæ perversitas subministrat. Ut planum fiat, quòd majus bellum diabolus per homines excitet, quàm dum ipse aperte in pugnam descendit. Sylveira in Matth. 4. 9. 4.

*Capite nobis vulpes parvulas.* Cant. 2. 15. S. Gregor. Niss. hom. 8. in Cant. accepit ex his verbis materiam illius deridendi, ubi ait: hic ergo tantus imperator legionum demonum, quomodo revera, & solâ potestate, vocatur parva vulpes: & omnes, qui eum circumstant, & universus ejus exercitus, vulpeculæ; non enim dicit: venamini aprum sylvestrem, aut singularem feram, aut rugientem leonem, aut magnam balænam, aut magnum draconem; sed parvas vulpes; & debiles, si cum nostris viribus comparentur; ut ab homine conitante illicò repelli possint. Cornelius hic.

### Ex Novo.

*Accedens tentator.* Matth. 4. 3. Non vocat eum fortem &c. ut intelligamus; quoties ab illo superamur, non id brachij illius robore, sed infirmitate, & ignaviâ nostrâ, fieri. S. Chrysol. f. 105. Diabolus nihil esset, si homines sollicitiores, & cautiores essent. Aut quid unquam prævaluit ille in homines virtute, nisi arte, mendacijs, insidijs, fraude, dolò, nequitia. Did. Niss. Dom. 1. Quadr. 5. 5.

*Mitte te deorsum.* Matth. 4. 6. Diabolus hic in pinaculo nequaquam est ausus manum levare in Christum, sed tantum præcipitium suavit. At de Nazareno dicitur Luc. 4. 29 *auerunt illum usque ad superciliam montis, super quem cecidit illorum erat edificata, ut præcipitarent eum.* Ecce isti non verbis solum excitant ad præcipitium sed de facto inferre moluntur. Reip. ex S. Hieron. hic quòd diabolus, cum sit valde debilis, suadere potest, præcipitare non potest. Sylveira hic q. 28. Ostendit in hoc congressu debilitatem suam; quia non valet ille mittere, sed ait: *mitte te deorsum.* Ità est, fratres, si non tu te mittis, ille non mittet. Hortari potest, sed præcipitare non potest. Porrigit gladium; sed tu te jugulas; nemo enim læditur; nisi à seipso. Sanct. Thom. Vill. D. 1. Quadr.

*Cum dormirent homines, venit inimicus &c.* Matth. 13. 25. Insidiator in noctibus latitat, in diebus vigilantes fugit, appetit dormientes. Fortis conflictum peti, provocat palam spectantibus omnibus, & coram populis vult habere victoriam. Maxime infirmitatis est, dormientibus irruisse. Sanct. Chrysol. term. 97.

*Legio mihi nomen est, quia multi sumus.* Marci 5. 9. Euthymius: multis demonibus imperat, quasi unus esset, propter ipsorum imbecillitatem.

*Vos ex parte diaboli estis; & desideria patris vestri vultis facere.* Jo. 8. 44. Benedict, vultis: quia, licet diabolus possit tentando suggerere; non potest tamen homines ad peccatum cogere: Guido Carmelita.

*Sobrii estote &c.* 1. Petri 5. 8. Si diabolus est leo, qui præ ferocia terribiliter rugit; quis illum non timeat? Sed nota: aliud elerugire, & minaci voce terrere, aliud nocere opere. Sanct. Cyrill. Alex. lib. 1. apolog. c. 16. expertus miles tubam bellicam non expavescit, sed gladium: & eruditus Philoophus nubis tonitruum non veretur, sed fulgur. Sola sobrietas, & vigilantia, sufficit; ut leo rugiens non noceat. Did. Niss. D. 5. Epiph.

### Ex Patribus, & alijs.

Diabolus nihil esset, si essent sollicitiores homines, & cautiores. Chrysol. f. 105.

Mali demones accincti sunt ad bellum nobis inferendum; gestantque in capribus suis coronas auri speciem præferentes; certos utique victoriæ contra nos obrentæ indices. Nos enim sumus, qui toties illos coronamus, propositamque victoriam turpiter abjicimus, quoties voluptatis sensu superamur. S. Andreas Cesar. l. 9. c. 9.

Incentor ille, auctorque peccati, primum superbus ut caderet; deinde invidus, ut noceret;

eret; quia in veritate non stetit, totam vim suam in mendacio collocavit; omniaque deceptionum genera de hoc venenatissimo artis suae fonte produxit. S. Leo f. 4. de collectis.

Unus ex vobis diabolus est; cuius nomen horrendum est nominare. Veruntamen multi nomen exhorrent, sed facta diaboli non abhorrent. Sed tolerabilis esset, diabolus videre, quam esse; ipsum vexantem pati, quam fieri. Ac per hoc, si Judas proditor à seipso fieri potuit diabolus; quot igitur sunt depravatâ mente facti diaboli? Quid igitur expedit diabolo Spirituali, ut ad culpam homines tentet; si ipsi sibi homines facti sunt diaboli? Nemo causetur adversus invisibilem hostem, dicens: hoc mihi fecit diabolus, si homo à seipso factus est diabolus. Et sicut primus diabolus à seipso factus, non ab alio; sic homo diabolus non fit, nisi à semetipso. Sim. Cass. l. 11. c. 20.

Lupus fortis est in capite, & collo; extrema debilia. Totâ vis diaboli est in principio tentationis: si ei in principio resistitur, jam debilis est. Geminiani l. 5. c. 39.

Clementia divina diabolo alas non evulsit, sed accidit; dentes non excussit, ungues non præcidit; sed illos ita detrivit limâ, ut nec mordere jam, nec inungere ullum possit, nisi volentem. Drexelius in palæstr. Chr. c. 3. §. 2.

## §. VIII.

*Diabolus fallax, mendax.*

*Ex Veteri, & Novo.*

**N**equaquam moriemini, - eritis sicut dii. Gen. 3. 4. 5. Victoria ejus, in quo gloriabatur, ut jam dictum est, talis erat, qualis odibilium sophistarum esse solet. Nam per equivocationes, incautos, & imprudentes, circumvenit: impijnis dicendo: *nequaquam moriemini*; volens intelligi mortem carnis; cum DEUS, dicendo: *in quocumque die &c.* intelligi voluerit mortem animæ à DEO. Apertionem oculorum, ait Rupertus, intellexisse, quâ cognitari erant confusibiliter, se nudos esse. *Eritis sicut dii*; se, & suos angelos, intelligens; quos intendebat generi humano ita ingerere, ut divinam illis exhiberent culturam &c. Rupertus de Victor. verb. Dei l. 2. c. 10. Aptè diabolus in specie non ovis, sed serpentis, tentavit. I. quia serpens naturâ est calidus. II. Quia homini naturaliter contrarius. III. Quia repit, venenum diffundit, quia totò corpore terræ adhæret. Corn. hic.

*Osculans eum.* 2. Reg. 20. 9. 10. Diabolus blanditur, ut fallat. Hoc significatur in Joab principe, qui Amasam osculando interfecit. Oculum diaboli, falsa securitas peccatoris. S. Bonavent. f. 2. D. 3. Pasch. *Joab* interpretatur *inimicus*; & significat diabolus, qui sub specie osculi interfecit animam. Hugo Card. in Pl. 7.

*Circuivi terram &c.* Job. 1. 7. Per circuitionem Sathan, calliditas ejus ostenditur, ad

explorandum, quos decipere possit? Convenienter autem per circuitum calliditas designatur; sicut per rectum simplex, & justus. S. Thom. in Gen. c. 1. Lect. 2.

*Non credas inimico tuo in aeternum: sicut enim aramentum aruginas nequitia illius.* Eccli. 12. 10. Æs, licet tersum sit, ut aurum videatur, tamen ex seipso aruginem agit. Quomodo ergo dæmoni quis credat? Auth. Imperf. op. in c. 4. Matth. diabolus, quantum ad se, nunquam cessaret tentans: nec enim habet alium actum. Non manducat, non bibit, non dormit; nec habet negotium aliud, nisi ut tentet, ut fallat, ut subvertat. Hic est cibus illius, hic honor, hoc & gaudium. Glossa: venit, cum dormirent homines id est, cum cautelam amoverent. Did. Niff D. 5. Epiph.

*Scriptum est.* Matth. 4. 6. Audet diabolus ipse dicere: *Scriptum est*; sed non pro se, sed magis adversum se. Scriptum quidem erat, *quoniam Angelus suis mandavit de te*: sed quod de suo addidit, *mitte te deorsum*, scriptum non erat. In quo cognoscimus antiquam ejus, & usitatum veritatem: semper ut fallere possit, malis suis bona miscere, & venena sua mellis dulcedine dulcorare. S. Chrylost. hom. 5. de Chr. tent.

*Ex Patribus, & aliis.*

Sex millia annorum jam pene complentur, ex quo hominem diabolus impugnat. Omnia genera tentandi, & artes, atque insidias, deiciendi usque vetustatis edidit. Si imparatum invenerit militem Christi, si rudem, si non sollicitum; ac totò corde vigilantem; circumvenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum. S. Cyprianus de Exhort. Martyrii in Præfat.

S. Rupertus in Gen. l. 3. c. 2. vocat diabolus cauponem nequissimum.

Dolosus impulsor celat se nunc sub habitu Theologi, nunc Prædicatoris, nunc Confessarii, nunc Religiosi, nunc solitarii, nunc Prælati: & ita se formas vertit in omnes. Finxit se Theologum loquens ad Evam: *cur præcepit vobis DEUS?* Gerson. Centiloq. decade 7.

## §. IX.

*Quos, & quibus viis, tentet diabolus.*

**D**ij montium sunt dii eorum; ideo superaverunt nos &c. 3. Reg. 20. 23. In campestri victus, superatusque est Adam; in hac Salomon dejectus est valle. Osorius D. 1. Quadr.

*Hæc omnia tibi dabo.* Matth. 4. 9. O si hodie diabolus regna promitteret, quantos haberet adoratores! pro aureo, vel argenteo, nummo homines mille perjurâ, & peccata committunt; quid facerent pro regno? S. Thom. Vill. D. 1. Quadr.

*Si Filius DEI es, mitte te deorsum, ibi.* O quam stulta hæc suasio! nimiumque per-

versa, ut Filio, DEI diceret: *mitte te deorsum*. Nunquid non rectius dixisset, si Filius DEI; ascende in caelum? Quod utique si faceret Dominus, verè illum Filium DEI esse comprobaret. Sed inimicus caeli, nè tentando quidem ascensum vult suadere caelestem; deorsum, & in ima provocat: quia optat omnes cadere, qui se sentit pra omnibus cecidisse: S. Maximus hom. 2. de jeju. Quadr. Sic suis suadet; sic suis providit semper; sic suos elevat, ut de alto praecipiter validius in ruinam. S. Chrysol. l. 13. Aded cavet in hominibus ascensus caelestes, ut nec per tentationem hoc suggerat: quia maxime affectat, ut omnis humana cogita-

tio à caelis sit aliena, & terris affixa. Sylveira hic q. 27.

Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus; & ibi causas quaerit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari. S. Leo l. 7. in Nat. D.

Neque persequitur, & impugnat Christi adversarius, nisi castra, & milites, Christi. Hæreticos prostratos semel, & suos factos, contemnit, & praeterit: eos quaerit dejicere, quos videt stare. S. Cyprianus ep. 58.

Nemo diu tutus est periculo proximus: nec evadere diabolum servus Dei poterit, qui se diaboli laqueis implicavit. Id. ep. 62.

## TITULUS VI. DIES.

### §. I.

#### De die Dominico.

**D**iei Dominici nomen ab Apostolis. S. Ignatius M. ep. ad Magnesianos vocat: reginam, & principem omnium dierum. Chrysol. hom. 5. de Resurr. diem panis, & diem lucis. Apud Baron. A. 58. n. 87. primam feriam. Diem remissionis Concil. Carthag. 4. can. 82. Diem Solis S. Maximus hom. 3. Pent. Gavanthus tit. 12.

Dominicam diem Apostoli ideo religiosam solemnitate sanxerunt, quia in ea Redemptor noster à mortuis resurrexit; quique ideo Dominicus appellatur, ut in eo à terrenis operibus, vel à Mundi illecebris, abstinentes, tantum divinis cultibus serviamus: dantes scilicet diei huic honorem, & reverentiam, propter spem resurrectionis nostrae, quam habuimus in illa. S. Isidorus de offic. Eccles. c. 24.

Ipsè dies Dominicus est primus dies Saeculi. In ipso formata sunt elementa Mundi; in ipso creati sunt angeli; in ipso quoque à mortuis resurrexit Christus; in ipso de caelis super Apostolos Spiritus S. descendit, manna eodem die in eremo de caelo datum est. Id. ib.

### §. II.

#### Varia de aliis diebus.

**D**ies Paschæ, sive prima azymorum, quò Hebraei egressi ex Ægypto, fuit dies Veneris, Deò ita disponente: ut significaret diem veneris, quò Christus Phasæ nostrum immolatus est &c. Cornelius in Ex. 12.

In die furoris sui. Threnor. 2. 1. quia in die salutis suae noluit observare diem Domini,

quem Abraham Pater ejus viderat, & gavisus est; idcirco impiegit in diem furoris DEI. S. Paschasius hic.

Olim dies à solis ortu usque ad occasum, in 12. horas dividebatur, juxta illud Christi Jo. 11. 9. *Nonne duodecim sunt horæ diei*. Dividebatur dies in quatuor partes; quarum quavis tribus horis constabat. Hora prima diei illa erat, quâ sol oritur: & ideo, pro anni cursu, breviores, vel longiores, horæ. Undecima hora erat una ante solis occasum. Barradius t. 3. l. 5. c. 16. Dom. Septuag.

*Vespere autem Sabbati*. Math. 28. 1. Gentiles nominant dies appellationibus planetarum, & deorum seorsum; ut eorum semper memoriam habeant: Christiani autem nominibus *feriarum*: quia semper feriandum, seu desistendum, à peccato. Dion. Carth. hic.

*Et quidem in hac die tua*. Luc. 19. 42. Dies, & vita tota hominis prohi, dies est DEI: nam tota vitâ DEI operibus intentus est. At improbi dies ipsius solum dies est: tota enim vitâ gulo, genio, &c. indulgens. Ipso transactò die inquit Job 8. *sicut umbra dies nostris*. Stella in Luc. 19.

Dies ista (Jovis sancti) multiplicibus mysteriis honoratur. - Hodie reconciliantur Ecclesiae peccatores; & ejecti foris ad matris ubera reducuntur. - Hodie patent carceres; & damnati libertate donantur. S. Cyprian. de unct. chrism.

Eximia bona, & mala, sub caelo, in die sexto sunt condita: illa à Deo, ista ab homine. Sim. Caff. l. 1. c. 2.



## TITULUS VII. DIFFICULTATES Et impedimenta.

§. I.

*In bono animosè vince.**Ex Veteri, & Novo.*

**A**braham non desistit à sacrificio, ob aves descendentes, & impediens; sed ad vesperam usque abigit, & in sancto opere perseverat, donec sol occumbat. Gen. 15. 11.

Conatur Laban, Gen. 31. 23. impedire iter Jacob revertentis in patriam: ille verò non acquiescit; sed persequitur fortiter, feliciterque pertingit.

Hebræi ex Babylone reversi conantur reedificare templum Domini; populus terræ conatur impedire: at illi non desistunt; imò unâ manu faciunt opus, alterâ gladium tenent, 2. Esdræ 4. 17.

*Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.* Pl. 17. 30. S. Greg. l. 26. mor. c. 10.

Murus est, omnis, quod itineri nostro obicitur; nè ad eum, qui diligitur, transeat. Sed murum transgredimur, cum præ amore supernæ patriæ, quæ in hoc Mundo fuerint obiecta, calcantur. Rom. 12. 12. *Spegaudentes, in tribulatione patientes.* Pinna in Eccl. Ethol. 184.

*Esto firmus in via Domini.* Eccl. 5. 12. Philo l. quod omnis probus sit liber: invictus animus, rationis rectæ placitis confirmatus, cedit nemini. Colebat Plutarchus constantiam Fabricii, qui, respuens Pyrrhi regis munera, cum subito à tergo ejus elephas barriens, à Pyrrho territandi causâ immisissus apparet: me, inquit, nec aurum heri, nec bellua hodie, fecit attonitum. Quocirca gloriosè audiit: facilis est, solem à suo cursu, quam Fabricium à suo proposito, deducere. Cornelius hic.

*Ascenderunt supra cæstum.* Luc. 5. 19. Portiores hi impedimentum sibi oblatum, nè ad Christum accederent, mirabiliter, perfosso cæstò, superârunt. Sic impedimenta virtutum vincenda. Barradius hic t. 2. lib. 5. cap. 20. Impedimento erat domus, & hominum turba; sed, ut ait S. Bonav. in Luc. 5. Veram fidem impedimenta non retrahunt, sed accendunt. Id. ib.

*Ise verò multò magis clamabat, fili David miserere mei.* Luc. 18. 39. Tanto ejus affectio in seipso accendebatur, & fortior, calidiorque fiebat, atque in valentiorum vocem erupit; quanto majorem contradictionem, & resistantiam, sentiebat. Dion. Carth. hic.

*Volumus venire ad vos; sed impedivit nos Sathanas.* 1. Thess. 2. 19. Dæmon fervidè officia charitatis exercendæ impediēbat; sed fervidior Paulus à generoso conatu non desiste-

bat. S. Chryl. hom. 1. ad pop. Antioch. quoties igitur frustrati fuerimus, toties spiritualia aggrediamur; neque dicamus, quare Deus impedimenta permittit? propter hoc enim permittit; ut tu promptitudinem tuam multò magis demostres, & multum amorem. Amantis enim maxime est, nunquam ab his, quæ amato conplacent, abstinere. Mollis, & ignavus, ex primo statim impetu concidet; vehementes autem, & excitatus, etsi millies interpelletur, tantò magis divinis rebus instabit, quantum in se est, omnia implens. Ramirez in ep. Chr. Apoc. 2.

Legi apud quendam sapientem: non est vir fortis, cui noa crescit animus in ipsa rerum difficultate. S. Bern. ep. 256.

§. II.

*Difficultates DEUS complanat.*

**F**ilios Israel impedire conatur Pharaò; rubrum ante se mare habens: Dominus tollit impedimenta, ut progredi possent. Ex. 14. 9. 10. &c.

*Surge, & transi Jordanem, tu & omnis populus tecum.* Jos. 1. 2. Licet fluvius profundus esset; nec pontem aut cymbam, haberent ad illum trajiciendum; sed DEUS, eis favens, aquas divisit, & iter patefecit. Ex quo apparet, DEUM, cum difficulta imperat, difficultates amovere. Diez. D. 14. Pent. Conc. 1.

*In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem.* Pl. 90. 12. Lapides in via, sunt omnia impedimenta, quæ occurrunt in hac vita, sive temporalia, sive spiritualia, scandala, tentationes, persecutiones, & his similia. Bellarminus hic.

*Quæ est ista, quæ ascendis de deserto &c.* Cant. 8. 5. id est, licet ascensus asper, & arduus, sit; sine labore, imò plena delictis, ascendit. Et mox dant rationem: quia *innixa super dilectum suum.* Nam si ita non ascenderet, valde fatigaretur. Ubi S. Bern. frustra sponfa nititur, si non innitatur; si autem innitatur, omnia possibilia sunt innitenti super eum, qui omnia potest. Diez D. 14. Pent. Conc. 1.

*Animalia ibant, & reverebantur, in similitudinem fulguris coruscantis.* Ezech. 1. 14. O virtus ignis divini, qui terrena animalia convertit in splendida, frigida in ardentia, tarda in celerissima; alas igneas præbet ad obediendum, & discurrendum per orbem; pennas ignitas ad ascendendum; omnia impedimenta, ut fulgur, vincit; omnes difficultates superat. De Ponte in Cant. 1. Exhort. 8. §. 4.

*Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum &c.* Zach. 4. 7. S. Cypr. l. 2. epist. Postquam cœlesti spiritu haustò in novum me hominem secunda nativitas reparavit; mirum in modum protinus confirmare se dubia patere clausa, lucere tenebrosa; facultatem dare, quod prius

prius difficile videbatur; fieri posse, quod impossibile putabatur. Mons hic, omnes armuli, & potentes adversarii Judæorum; qui volebant, aut certe facile poterant, impedire fabricam templi. Chald. *quid tu reputavis regnum stolidum coram Zorobabele? nonne quasi vallis?* q. d. quid sunt Monarchæ Persidis, qui videntur esse montes excelsi, ut se tibi ô Zorobabel opponant in fabrica templi? ecce ego eos in planitiem deducam; id est, humiliabo coram te. Ita DEus piis regibus, & quibusvis Fidelibus, complanat difficultates, quæ maximæ reipsâ erant, vel pusillanimitas esse videbantur, ad extirpandam hæresim, aut vitia inolitâ; adeo, ut ipsi mirentur, subitò illas, quasi in planum deduci, & evanescere. Spes ergo in DEum omnes montes complanat. Cornelius hic.

*Quis revolvat nobis lapidem?* Marci 16. 3. Erat saxum magnum; sed non sunt deterritæ à præstanti bono opere: pergunt, non despondent animum; quodque minimè putabant, lapidem ab Angelo revolutum inveniunt, apertumque sepulchrum. Docent nos, nè pusillanimes simus, animumque objectis difficultatibus nè despondeamus. DEus enim, etsi lapides esse videantur magni, revolvat, difficultates complanabit. Barraudius hic t. 4. l. 8. c. 6.

## §. III.

*Christus Dominus difficultates complanavit.*

**F**luent ad eum omnes Genes. II. 2. 2. Nota miraculum: flumina enim deorsum fluunt; hic verò fluunt sursum, in altissimum montem ascendendo. Hoc facit gratia Christi, quæ sursum corda rapit. Cornelius argumento in K. 1.

*Et ego reficiam vos.* Matth. 11. 28. Non dicit, tollam laborem, seu onus vestrum; sed, refocillabo vos. Non promittit Christus, tollere labores, & malorum onera, in hac vita; sed reficere interiori pabulo mentes, animosque hominum venientium ad eum. Cajetanus hic. Id est, confortabo, & consolabor vos, minuendo gravitatem laboris; ut opera bona, quæ cum difficultate, tædioque, fecistis; cum fervore, & gaudio, facere inchoetis. Dion. Carthus. hic.

*Petrus ambulabat super aquam.* Matth. 14. 29. Priusquam DEus fieret homo, homines non deambulabant super aquas; sed per sicum transibant. Sic ad ingressum Israel mare dividitur Ex. 14. 21. Per arenam alveum transit Israel Jordanem. Jos. 3. 15. Elisæo divise sunt aquæ huc, atque illuc, & transit, scilicet per sicum, ut ibi explicat Abul. 4. Reg. 2. 14. At ubi DEus factus homo, deambulat Petrus super fluctus semel, & iterum; & plures alii Sancti. Mare notat Mundum plenum fluctibus calamitatum. Et antequam Christus pelagus hoc calcaret, eunghi id horrebant; at ubi ille super illud incescit, plures habet assecelas. Sylveira in Luc. 5.

*Et aspera in vias planas.* Luc. 3. 5. Patientiâ sua Christus lenivit omnes asperitates, morte montem Martyrii: humilitatis, virginitatis iter, antea asperrimum, à paucis tritum; modo à plurimis curritur. Stella in Luc. 3.

*Omnis vallis implebitur.* Luc. 3. 5. Ier. tull. 1. 5. contra Maucion. Christus colles aquabit vallibus, & obliqua dirigit in rectitudines, & campos: quia omnes Legis difficultates, in Evangelii facilitates, & æquitates, convertet. Titus Bostr. per valles, difficultates in via virtutis occurrentes; per montes, & colles, malignos spiritus; & internas, externasque, perturbationes interpretatur. Sylveira hic.

## §. IV.

*Difficultatum origo ex ignavia, & timore.*

**I**ter pigrorum, quasi spes spinarum; via justorum absq. offendiculo. Prov. 15. 19. Hebr. *via pigri, velus feniceorum spinarum, & fenita rectorum complanata.* Aludit ad hortos sepibus spinarum obseptos. Sicut enim viator, qui vult fructibus hororum gaudere, necesse est, ut sepes spinosas transeat; sic, qui vult fructibus virtutum frui, sepes tentationum, & difficultatum, perumpat. Genuinè sic explicatur: iter ad honestas virtutes pigri videatur nimis durum, arduum; imperium quasi spinis septum: via autem justorum, qui strenue progrediuntur in via iustitiæ, absque offendiculo, facilis, & tuta. Cornelius hic.

*Dicit piger, leo est foris.* Prov. 22. 13. Syr. *dicit piger, quando mittitur, leo in via.* Pigri enim, nè cogantur laborare, & labore situ victum parare, fingunt sibi mille inanes metus, & pericula; ac parvas difficultates allimant maximas; & ex formica faciunt sibi leonem. Hebr. *dicit asfel, id est, piger, & tardus inlar asini, leo est foris:* asinus enim mirè formidat leonem, quasi hostem propriæ suæ viæ insidiantem, ut carnibus ejus pascatur. Hinc illud Eccli. 13. 23. *venatis leonis onager in eremo.* Cornelius hic.

*Dicit piger: Leo est in via &c.* Prov. 26. 13. Pigri, & sceleratis, leo est leo; at sedulis, & sanctis, Leo est canis: eis enim servit, & obsequitur, ut canis suo hero. Joannes Moschus in prato Spir. c. 181. narrat: Leonem Joanni anachoreta inter duas arctas sepes occurrentem, illi iter aperuisse, & sepes dorso amovisse, donec Joannes transiret. Ita leo iusto iter sine impedimento præbuit; post cuius transitum & ipse leo de sepe exurgens peregit iter suum. Cornelius hic.

Sicut solertem virum, animò, & proposito alacrem, nulla res detinere potest; ita segnem, & remissum, hominem omnia possunt impedire. S. Chryl. t. 6. or. in SS. Petrum, & Eliam.

Vide plura tit. Timor.

## §. V.

*Difficultates sentiuntur in divinis, spiritibus; non item in vanis terrenis, & malis.**Ex Veteri.*

**Q**uatuordecim Jacob servit apud Laban, imminutis licet stipendiis. Gen. 29. 27. At sub Christo si triduum subsistamus in deserto, deficiamus. Marci 8. 2. *Ecce jam triduo sustinens me.* Ibi anni, hic horæ, supputantur, Oliva D. Palmarum.

Cum

Cum Moyses Dei iussu virgam suam abiecit, *verfa est in colubrum, ita ut sugeret Moyses.* Ex. 4. 3. Cur fugit à Numine? serpens adest. Et quot annos Moyses in deserto moratus serpentes aspexerat, & despexerat? aderat DEO. Id. id.

*Tedere cepit populum in inanis, ac laboris.* Numer. 21. 4. Quemaam populum tædet? eum, qui, paucis ante mensibus, excoquendis lateribus opprimebatur seruitute; virgis, fame tantum non eneclusus in Ægypto? Ex. 5. 16. *palea non datur nobis.* Ad Dei iussum piger vel regnare in libertate; quibus libet sub Pharaone non premi tantum, sed mori. Proh jugi divini impatientiam! etiam manna fastidiosus, si pluat e caelo. Esurimus pepones & cucumeres; si eos Ægyptus præbeat. &c. Id. l. 1. Strom. hic.

Cum periclitantur in acie Israhelita, eò arcam ducendam curarunt. 1. Reg. 6. 1. at captæ Arce tanta incuria, & oblitio; ut de ea recuperanda nè semel quidem deliberaverint. Id. D. Palmar.

*Ibant vacce in directum - pergentes, & mugientes.* 1. Reg. 6. 12. Proh! quoties graviora traxerunt, & durius laborarunt; nec mugierunt. In stabulo emunguntur, & silent. Tacuissent credo, si aratrum ducere per diem, noctemque, coactæ essent; arcam sine mugitu non trahunt. Et eas non miror: nam bruta erant; & forsitan dolebant, à se derelictos vitulos. Nos verò quâ exortatione mugitus nostros tegimus, qui aratrum trahimus non raro lati, & infomnes; arcam verò orationis circumducimus, & mugimus? rustici totâ die in agris æstant; quos stupas quadrante unò aris aditare sine ejulatione non posse. Id. l. 4. Strom. hic.

Ad mandatam Saulis continere se cohortes à melle in saltu defluo. 1. Reg. 14. 26. Et aquâ, ac pane abstinere nesciit propheta, quem leo præfocavit in via. 3. Reg. 13. 9. 19. &c. Libet à deliciis abstinere pro lauro; nec securibus cohibemur à frigida, si obsecuturi sumus Deo abstinentiâ nostrâ. Jejunant eenturiones à melle pro duce suo: pro Deo suo propheta à potione frigida; nè poenâ quidem minis cohibentur: Id. l. 1. Strom.

Leprosus Naaman lavari pro incolumitate sua abnuat. 4. Reg. 5. 13. pro qua verisimile est dura passum in Syria; qui modo nè Jordane quidem amoenissimò amne perfundi vult. Si medicus urat, nemo reclamat; si propheta diluat, nemo non latrat: voluptuosum est mergi flumine; si tamen non eò à propheta mittamur. Id. l. 1. Strom.

*Et fecerunt vitulum in Hæreb.* Pl. 105. 19. Quam liberalis, & quam supersticiosa superstitio est! sed nobis quam parca, ignaraque consilii religio! ut peccetur, nihil non relinquitur; ut verò litemus Deo, grana vertuntur in trabes; in montes excrescunt arenæ. Ut tabernaculum Deo extrueretur, infundi debuit Sapien-

tia e caelo in architectos. Ex. 31. 6. Idolum verò nullâ lege latâ, nullis designatis artificibus, nullis conquisitis instrumentis, statim conflatur. Ex. 32. 4. & quidem aureum in eremo. Ubi nulla aurificina, rerum omnium inopia; tamen, ut monitrum colatur, præstò sunt fulores, officina, aurum, sacerdos, victima. Quam plures reperies; qui, si morituro, tantum obolò, imò bolò, opitulandum sit, inopes se clament, moxque mendicatos, si mendico subvenerint: quos tamen videas ad nutum principis, tantum auri, argenti que, profundere; ut Peruanas credas focinas in eorum aedes translatas. Nimirum Irus quisque est, cum DEO erogandum; nemo, ut ambitioni liter, non diù est Ciresò. Id. l. 2. Strom. hic.

### Ex Novo.

*Si Dominus opus habet astellò* Matth. 21. 3. nemo illum mittit, nisi moneatur; si verò quadrigis ambitio vehi optet; & Bucephalus Pella, & Pegasus e Thessalia, adducuntur. Oliva D. Palmar.

*Invenit eos dormientes.* Matth. 26. 40. Excubare unâ non possunt horâ inter lilia, & oleas horti; qui vitam inter nassas labore magnò traduxere. Luc. 5. 5. *per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Audin? Qui vigilare in horto unâ tantum horâ pro Christo, toties excitatus, non potest; unam; exegerat noctem infomnem in lembo, captandis nequidquam piscibus intentus. Itâ pro Christo nihil non durum etiam remigibus, quibus nihil non pro lucello volupe. Id. ib.

*Domine, non est tibi cura?* Luc. 10. 40. Putâsne adfuisse Mariam Marthæ, quoties illa cognatis, & nobilibus, coenas instruxit? vagabatur illa; otio, & deliciis, dissoluta. Sed enim modò verbo DEI intendebar. Ergo se non tunc credit Marthâ à Sorore in procuracione familiæ destitutam, cum illa illecebris solveretur; sed tunc se desertam queritur, cum Christo hæret; adeoque ipsis etiam exceptoribus JESU nihil itâ onerosum est, ut laborare pro JESU. Oliva l. 1. Strom. hic.

Da mihi, qui unam in Ecclesia hebdomadam perstet, ut paralyti cordis solvatur. En piscinæ porticum Jo. 5. 5. *erat quidam homo ibi triginta, & octo annos habens in infirmitate sua.* Id. ib. Vide apud eundem plura D. Palmar.

Item vide plura tit. Fortitudo, Fiducia, Magnanimitas.

Quatuor sunt difficillima homini: aliena possidere, & ea restituere; contumelias audire, & tacere; injustitiam irrogari, & hoc debere pati; desiderabilia tractare, & non frui. S. Thom. opusc. 37. de vitiis, & virtut. c. 4.

*Dissidentia sui.* Videt. Fiducia, Spes.



## TITULUS VIII. DIGNITATES.

§. I.

*Varia, fugaces.**Ex Veteri, & Novo.*

**V**iditq; in somnis scalam. Gen. 28. 12. Scala est hujus Mundi inconstantia; in qua alii è summo deiciuntur in imum, alii ex imo evehuntur ad summum; idque ad DEI nutum, & voluntatem; qui scalæ huic incumbens eam dirigit. Philo lib. de somniis.

*Hæc est interpretatio somni.* Genes. 40. 12. Vidit hic pincerna symbolicè per somnium suum statum, puta pincernatum restitui; ut hoc ipsi significaret DEUS, dignitates, vitam, resque humanas, tantum esse somnium. Cornelius hic.

*Ite, & ponite pedes super colla regum istorum.* Jos. 10. 24. Nuntiatum est Josue, quodd inventi essent quinque Reges latentes in spelunca: hos Josue iussit proferri de tenebris in lucem, & calcari. Abulensis: Fecit Josue, ut reges illi extenderentur in plano, & principes ponerent pedes super colla transeuntes, & proculcantes eos, velut lutum. Et cur modo pede premuntur capita, quæ pretiosa antè ornare diademata? quia de tenebris ad lucem adducti. Naxera hic §. 48. & addit: quidquid uti eximium stupemus, si de tenebris proferamus ad lucem, calcabile reperiemus.

*Vidi impium superexaltatum & transivi, & ecce non erat.* Ps. 36. 35. Quò transivit David, ut tam citò evanesceret pompa? transivit mente ad contemplandam Dei gloriam; Elias Eremita orat. 3. Nazianz. ait: quid illud est, quod transit iustus, ut ista cesset elatio? Cùm videmus extolli impios, & in nimiam superbiam crescere; transeamus & nos mente, & intellectu, ab iis, quæ videntur, & temporalia sunt; & transferamus intellectum nostrum ad cœlestia, & æterna; & tunc omnis Mundialis altitudo corruit tanquam nihilum. Sylveira in Act. cap. 1. q. 8.

*Faciamus hic tria tabernacula.* Luc. 9. 33. Cur non de domo extruenda, sed tabernaculo, cogitat Petrus? fortè ut significet; non diurnam regni, & dignitatum, felicitatem esse; tentoria, non domicilia, delineavit. Tabernaculum itinerantium diverforium est, opportunum felicitati, in qua non diu subsistitur. Oliva l. 13. Strom. hic.

*Facta est nubes.* Luc. 9. 34. En quò felicitas recidat! en quomodo apparatus ille Majestatis evanuit! en, ut sol genarum vertatur in nubem! Ità ut plurimum solennitas potentia nubilo excipietur; & fortuna agnatum secum trahit nimbium lacrymarum. Soli succedunt nubes; splendor umbrâ funestatur; rutilantia indumenta tandem inumbrantur. Oliva l. 13. Strom. hic.

*Si autem, quod hodie in agro &c.* Luc. 12. 28. Quod antè liliū dixerat, nunc, mutato splendore vocabuli, scœnum vocat: ut nostri temporis Salomones, qui se lilia jactant, scœnum se esse intelligant. Nam lilio vix quidem comparari Salomon, Salomonesque, possunt. Cùm omni gloria sua liliū non potest non esse scœnum; cujus pompam omnem sapienter Christus vestem dixit: ut dicas, non innatam nobis esse felicitatem, sed additam, eam quandoq; deposituris. Liliū es, noli esse scœnum. Liliū quoq; computatur in scœno; quod hodie nives candore exaquat, cras igni immittitur. Id. hic.

*Nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur.* Judæv. 12. Dicit potest, esse nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur. Nubes fit ex vapore à terra, calores virtute excitato: quæ ita in aère extenditur, ut cœlum contegat; & vix aliud, præter eam, videatur. Sed nunquam in eodem loco manet, & huc, illuc, à ventis circumfertur; & tandem paulatim consumitur. En Symbolum humanarum dignitatum! videre enim est, aliquos è terræ pulvere, humani favoris vi, ad tantam dignitatem elevatos, ut cætera omnia occultare, & obcurare, videantur; sed nunquam in eodem statu quiescunt: nam invidiam, inimiticitiam, & aliis molestiis, agitati, inquieti vagantur; & tandem ad terram, ex qua excitati sunt, miseri revertuntur. Diez. de Incarn. Dom. Conc. 3.

Leo XI. Pontifex, Florentinus ex familia Medicea, in insignibus geitabat rosam, cum hoc Lem. sic floruit. Verus sibi fuit vates: nam paucis diebus in Pontificatus culmine stetit, & floruit instar rosæ. Cornelius in Sap. c. 2.

§. II.

*Dignitates in morte vilescunt.*

**N**ox nocti indicat scientiam. Pl. 18. 3. Nox est, quæ in umbra mortis sedentes homines omnis boni scientiam revelare contendit. Nocturnis in tenebris terrena omnia, quantumvis splendida, horrent tenebrosâ induta caligine. Nihil oculis gratum, nihil regia palatia discrepantia sepulchris; & ferale luci, & delictosi horti, confunduntur. Unum cœlum splendet, totumque luminibus distinctum oculos complet humanos, complendo allicit, & alliciendo delectat. Bæza l. 3. c. 4. §. 5.

*Inclinato capite.* Jo. 19. 30. Titulus Crucis, hostibus Christi, ejus gloriae invidentibus, invisus. Quò Dominus, ut splendidum titulum etiam in morte, se despiciere ostendat, caput inclinavit: quasi ipsum à regio titulo averteret. Vides liliū excelsū languidò capite? Incerto Authore.

Leo XI. Pontifex, cùm 27. sui Pontificatus die, gradu, & vitâ, decederet; Confessario magnò animi sensu dixit: quam fatius mihi modò foret, si Monasterii potius, quam

quàm cœli claves, tenuiffem. Cornelius in Ecclæ c. 1.

Hadrianus sextus hic fitus est; qui nihil sibi infelicitus in vita, quàm quòd imperàrat, duxit. Platina in vitis Pontificum.

Cardinalis Alexandrinus Pij V. nepos jam moriturus: quàm, inquit, optarem in hac hora, totam vitam meam in religione mea transegiſſe (Dominicanus erat) sanè jam mallem me totà vità ſerviſſe coco Monafterii mei, quàm Cardinalem egiſſe. Paulus III. Pont. animam agens: mallem, inquit, me ſubiſſe coco familiæ Capucinatorum, quàm hanc DEO proximam, ſex, & decem annorum curriculo dignitatem ſuſtinuiſſe. Cornelius in Apoc. cap. 3.

Carolus Sicilia Rex moriens: ò vanas hominum cogitationes! quid mihi jam regnum prodeſt? Quàm præſtaret jam, pauperem fuiſſe, quàm regem. Cornelius in c. 50. Gen.

Cornelii Muſii in Hollandia Martyris carmen:

*Vive ut vis; ſed cum egrotabis,  
Juſtis lacrymis damnabis  
Omnes Mundi infulas.  
Et cum morti propinquabis;  
Tunc, ſeſero, pro vocabis  
Ad beatas cellulas.  
O beata ſolitudo!  
O ſola beatitudo!  
Piis ſeſſiculis!*

§. III.

*Dignitates in vitis ſpretæ, & ſper-  
nendæ.*

*Ex Veteri.*

**A**D prædam, ſiſt mi, aſcendiſti, requiſcens acubasti ut leo, & quaſi leona. Quis ſuſcitabit eum? Gen. 49. 9. Ubi fermo eſt, juxta Patres, de Chriſto Domino; qui aſcendit, ſeu cucurrit, ad prædam: ut ſcilicet homines eriperet à devorantis ore leonis. Quis ſuſcitabit eum? niſi DEUS Pater, ut explicat S. Greg. l. 11. moral. c. 28. Galat. 1. 1. *quem DEUS ſuſcitavit à mortuis.* Cum ad generis humani redemptionem veniret, dicitur, quòd ipſe aſcenderit, & cucurrerit; ad gloriam autem corporis, quòd Pater excitavit eum: quia ad ea, quæ charitatis erant, Chriſtus D. prævolabat; ad ea verò, quæ dignitatem, majeltatemque præſerebant, ita erat humilis; ut dicatur, quòd Pater ſuſcitaverit eum. S. Greg. 1. p. paſſ. c. 3. ad Jo. 6. 15. rex fieri noluit Chriſtus; ad Crucis patibulum ſponte pervenit. Oblatam gloriam culminis fugit; pœnam probroſæ mortis appetit: ut membra ejus diſcerent; favores Mundi fugere, terrores minimè timere. Sylveira in Luc. 1.

*Tolle Joſue, filium Num, virum, in quo eſt ſpiritu.* Num. 27. 18. Ità dixit DEUS Moyſi, cum poſtularat à Domino populo Præſectum. Cur uſus hœc verbò *tolle*, & non *assume*?

*Polyanthe. Sacr. Tom. I.*

quia vocabulò tollendi aliquem, ſignificatur eum ad necem deduci. Gen. 22. 2. *Tolle Filium tuum unigenitum.* Jo. 19. 15. *tolle, tolle, crucifige eum.* Abulenſ. tolle Joſue; ſignificat quandam deductionem non voluntariam, ſcilicet ad necem. Eſcobar. t. 3. colloq. Chr. ſeſt. 2. obf. 1.

*Adonias elevabatur dicens: ego regnabo. Fecitq; ſibi curru, & equites.* 3. Reg. 1. 5. Aliter Joſeph Gen. 41. 43. *fecitq; eum aſcendere ſuper curru ſuum ſecundum.* Adonias ſibi ipſe parat, ineptus regno præripit honores; Joſeph quaſi vi illatà intruditur. Sylveira in Luc. 10. q. 5.

*Veni de Libano Sponſa mea; Soror mea veni; veni coronaberis.* Cant. 4. 8. Virgo ſapiens à DEO vocata ad regnum ſemel, iterum, ac tertio; cunctatur, in dubio eſt, timet. Gilbertus l. 29. vide, ſi non moroſè de Libano egreditur, quæ toties vocatur. Sed quid timet vocata ad ſedem regiam? Gilbertus iterum: optanda quidem lucra; ſed metuendus eſt lapſus. Velloſo in Judith 1. v. 4.

*Ex Novo.*

*Oſtendit ei omnia regna Mundi.* Matth. 4. 8. Hieron. & Cajetanus, ajunt, in omnibus tentationibus voluiſſe diabolum inveſtigare, num Filius Dei eſſet? Author Imp. op. hom. 5. oſtendam illi omnia regna Mundi, ait Lucifer: ſi concupierit ea, ſcio, quia homo eſt; ſi autem contempſerit, ſcio, quia Filius Dei eſt. Eſcobar. t. 2. perſec. Chr. l. 3. obf. 1.

*Transfiguratus eſt ante eos.* Matth. 17. 2. Cur ſeipſe non transfiguravit? S. Anton. Ulyſſ. l. 2. D. 2. Quadr. in hoc notatur humilitas. *Sed ipſe Saſhanas transfiguravit ſe in Angelum lucis.* 2. Corinth. 11. 14. *Aſſumptus eſt in cælum.* Marci 16. 19. non ait, aſſumpſit ſe; cum tamen propria virtute aſcenderit. Gloria ipſum quaſiſit, non ille gloriam. Sylveira hic q. 7.

*Cogitabat, qualis iſta eſſet ſalutatio.* Luc. 1. 29. Cur Virgo tam feſtinanter tendit ad Eliſabeth? cum cogitabunda fuerit ad reſpondendum Angelo? Et iterum quaerit: quomodo fiet iſtud? Vide divinum ingenium; ad honores, ad dignitates acceptandas, cunctatur; ad opera verò humilitatis velociffimè prævolat. Sylveira hic q. 7.

*Deſignavit & alios &c.* Luc. 10. 1. Cur ex his Diſcipulis nullus ſe offert, ſed omnes deſignantur à Domino? Magni animi, & præclari facinoris, videbatur, ſi quis ſe Domino offerret ad prædicationis munus; tamen nullus ex iis id feciſſe legitur: quia talis dignitas erat præcellens, & honorifica. Hebr. 5. 4. *nec quisquam ſumit ſibi honorem; ſed qui vocatur à Deo ſanquam Aaron.* Sylveira hic q. 5.

*Fugit in montem ipſe ſolus.* Jo. 6. 15. Fugere docet honores, & gubernacula. Eſcob. t. 1. mirac. Chr. hic. obf. 6.

M m m 2

§. IV.

## §. IV.

*Dignitates obnoxie ruinae, & depressioni.*

**S**teserunt aqua descendentes in loco uno, & ad instar montis intumescens; Jos. 3. 16. Per maris rubri profunda populus non properavit. *Erat enim aqua quasi murus à dextra eorum, & lava.* Ex. 14. 22. Discrimen: marini fluctus in muros surgunt totâ nocte; at Jordanis repente superbos in montes exurgit: sciunt enim repentinum culmen celerime inclinare in ruinam. Mare, ait Lipomanus; DEus primò divisit, deinde arefecit. Naxera hic §. 23. & subjungit: male firmata est repentina altitudo, & gradibus non adepta felicitas.

*Tulitq. unum lapidem.* 1. Reg. 17. 49. In caput Goliath lapis dejectus est: semper enim adversa manus altioribus paravit insidias. Vel ingenti clypeo membra protegere gigas non potuit; quia grande corpus se vulnere objecit. Ne lapidis fructaretur ictus, superba moles in causa fuit. Seneca de tranquill. vit. c. 8. habiliora sunt corpora pusilla, quæ in arma sua contrahi possunt, quàm quæ superfunduntur, & undique magnitudo sua vulneribus objecit. Rota, quò altius effert, deprimit citius. Facilius labiles aquæ calcantur, quàm dignitatum vertices gradu figantur. Id. in Jos. 12. §. 9. Percussit Philisthæum in fronte, & infixus est lapis in fronte ejus. In tam procer corpore solum caput plagam admisit. Illi parti, quæ aliis eminebat, ictus funestus contigit; & quia altior, ictui patentior. Idem in Jos. 8. §. 32.

*Magna arbor. & proceritas ejus contingens caelum. succidite arborem &c.* Dan. 4. 8. 11. Unde advertit, ô vigil! arborem tam pulchram subjacere ruinæ? Richard à S. Vict. l. 2. de erud. inter. h. p. 2. c. 14. hæc fortassis succissionis causa extitit, quòd ejus altitudo nimia fuit; & hoc ei extitit causa ruinæ. Escobar t. 6. parab. Chr. Obs. 1. Excella periculosius stant; & citius corruunt, quæ sublimia sunt. S. Hieron. hic.

*Statuit eum super pinnaculum templi.* Matth. 4. 5. E celsis locis, dignitatibus, vult præcipitare. S. Isidorus l. de summo bono c. 51. quanto quisque in superiori constitutus est loco, tanto in majori versatur periculo. Barradius D. 2. Quadr. hic.

*Ceciderunt in faciem suam. & timuerunt valde.* Matth. 17. 6. Cum audita est vox: *hic est filius meus dilectus &c.* Euthymius: atqui prius in Jordane facta est vox hujusmodi, & nullus quicquam tale passus est. Est discrimen loci: Thabor altus locus; duxit illos in montem excelsum: In loco plano erant, inquit Euthym. ad Jordanem. Did. Niss. vit. Abrah. l. 4. c. 1.

## §. V.

*Dignitates periculose, metuendæ.*

**E**s civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva; & salvabor in ea Gen. 19. 20. Timet Loth alta; parva securitati eligit.

Sæpe fastigium infelicitatis mater. Naxera in Jos. 1. §. 54.

*Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Pl. 44. 4. Si potentissimus, ad quid gladius? Imò, quia potentissimus, gladio accingatur: tunc enim plures in eum coronabuntur. Id. ib.

*Duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* II. 6. 2. Cur sex alas non adhibent, ut ad altiora feliciter dirigant motum? cur non quatuor saltem alas explicant, ut perniciter ad felicitatis apicem evolent? ut nos doceant, quàm periculosa sint culmina: sic alas disponunt, ut quatuor quasi quibusdam vinculis Domino alligentur, quò tutè duarum volatu efferantur. Alis caput, pedesque, ambiunt; initium, & finem respicientes, Id. in Jos. 14. §. 37.

*Hæc omnia tibi dabo &c.* Matth. 4. 9. Quàm periculosam sublimitatem obulerit, patet ex responso: *vade sat. v. 2.* id est, advertar, hostis. Non sic eum vocat lapidibus oblati, non in pinnaculo templi; sed cum ei regnum obtulit. Etcobar t. 5. proph. Chr. obs. 5.

*Nolite timere pusillus græ: quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Luc. 12. 32. Mirum timore percelli, non tangi ambitione pusillos. Timet etiam, dum meretur, humilitas, quod aliis novit causam exitisse ruinæ. Verum si Apostolos, uti oves in medio luporum missos, pavidos non fuerat expertus, ad regni consortium vocatos veretur timidos? Chrysol. f. 23. promissionem regni sine timore servilis statûs audire non sufficit: quia qui libertate vix dignus est, capere non valet infulas principatus. Dominus ergo servorum mentes tali voce confirmat, nè eos repentinus regni promissi profrenat auditis. Regnum velle servum, crimen est; audire periculum; temeritas non timere. Ità ille. Temeritas est, non timere, si heri servus, hodie ascendat culmen regni: Naxera in Jos. 4. §. 23.

*Mulier amicta file. fugit in solitudinem.* Apoc. 12. 1. 6. Cur caelum deserens ad solitudinem fugit? in solitudine nihil excelsum, non sole micat; ibi tutior. Id. in Jos. 1. §. 54.

Quid est potestas culminis? nisi tempestas mentis: in qua cogitationum procellis semper navis cordis quatitur, hæc, illicque incessanter impellitur; ut per repentinis excessus oris, & operis, quasi per obviantia saxa frangatur. S. Greg. l. cur. pastor. p. 1. c. 9.

## §. VI.

*Dignitates noxiæ.*

**E**T in uno canistro, quod erat excelsum, portare me omnes cibos avesq. comedere ex eo. Gen. 40. 17. Alia canistra cibos habent, & quidem avibus non insulos; sed tamen ad unum hoc convolant, illòque pascuntur: quia reliquis altius & citius, Naxera in Jos. 8. §. 32.

Quid.

*Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen pro jacte est.* Ex. 1. 22. Potior sexus naufragium subibat, & præstantia creabat periculum. Id ib.

Dignitates sunt figuratæ per montes Gelboe, de quibus dicitur 2 Reg. 1. 21. *montes Gelboe, nec ros &c.* Sanct. Bonavent. l. 109.

## §. VII.

*Dignitates obnoxie peccatis.*

Quanta sit peccandi occasio in dignitatibus, conspicitur in rege Saule, qui filius unus annuerat, cum regna, e capisset. 1. Reg. 13. 1. Glossator Chaldaicus ait: *in quo nulla erant peccata.* Itaque, quando Saul in regiam dignitatem evectus est, purus, & absque peccato, erat, velut puer unius anni. Postea verò in illa dignitate regia ita se pervertit, ut in statu damnationis mortuus fuerit. Gufredus Clarevallensis Prior, electus Episcopus Tornacensis, & ab Eugenio Papa, & à S. Bernardo coactus, ut onus subiret, omnino renuit; sed prostratus ad pedes S. Bernardi dixit: Monachus quidem fugitivus esse potero, si me ejicis; Episcopus verò nunquam ero. Post mortem apparens cuidam Monacho, illi quærenti: quomodo tibi est? dixit, bene. Sed revelatum est mihi à SSS. Trinitate: quòd si in Episcopum promotus fuisset, in numero reproborum fuisset; sed cum essem ex Electis, omnipotens Pater misericordiarum, nò dignitatem mihi perniciosam reciperem, ordinavit. Diez Ambitio.

*Designavit Dominus & alios septuaginta duos.* Luc. 10. 1. Cur ex duodecim Apostolis unus proditor? ex Discipulis verò in multo majori numero omnes probi, juxta probabilior sententiam. Resp. Apostoli in suprema dignitate, Discipuli verò in inferiori, erant. Ex magno gradu facilior lapsus. Sylveira hic quæst. 6.

*Nescis, quia potestatem habeo, crucifigere te?* Jo. 19. 10. O miserum te! Pilate. Melius tibi esset, si potestatem talem nunquam habuisses; cum tam horrendum peccatum cum illa commisseris. O quantis præstitisset, in tremibus remigasse, aut porcos in agro pavisse, in frigore, fame, nuditate; quam ad summos gradus aspirasse, in quibus magnas Dei offensas incurerunt. Diez conc. 1. festo S. Philippi.

## §. VIII.

*Dignitates obnoxie fastui.*

*Dominare nostri tu Judic. 8. 22. non dominabor vestri v. 23.* Firmus est in repudiando sceptro catus, & cautus, teste Abulensi q. 20 ut non superbiret, principatum non accepit. Velloso in Judith 1. Parænet. 4.

Sub pœna mortis vetitum erat, regem Assuerum, non vocatum, adire. Esth. 4. 11. Rupert. l. 8. de Victor c. 10.

Nimirum hoc venerat ex nimia ventositate misera vanitatis; ut rex magni imperij plusquam

homo, putaretur habere aliquid; nec vilior fieret ex usu publicæ visionis.

*Fiorur virga.* Ezech. 7. 10. Lyr. sceptro florere vitus est. Quid inde? germinavit superbia. Regni flores superbia fructum peperere. Velloso ib.

Solent plerique mortaliom, cum ad majorem dignitatem pervenerint, animos quoq; simul attollere, ac majores spiritus sumere. S. Chryf. ep. 79. Gamello.

Summus locus bene regitur; cum is, qui præest, vitius potius, quam fratribus dominatur. S. Greg. Mor. l. 25. c. 19.

Sicut gemmæ multò melius obscurò locò splendent, quam meridianâ luce; sic multi, cum privatam agunt personam, longè præclarius se gerunt, & odorem boni nominis habent; quam cum publicam obtinent dignitatem. Diez Ambitio.

## §. IX.

*Dignitates sunt viæ ad orcum.*

*Quod de carcere, carenisq; interdum quis egrediatur ad regnum.* Ecclæ. 4. 14. Dio orat. 4. de regno: apud Persas accipiunt unum ex captivis ad mortem, collocantque in regis thronum; & eundem illi dant vestitum regium, & imperare sinunt, ac vivere, & delictari: & nemo illum vetat quidquam facere, quæ velit. Post hæc autem exutum, virgisque caesum, suspendunt. Cujus rei putas hoc esse signum, & quam ob rem fieri apud Persas? nonne ideo, quòd sæpe numero stulti homines, & pravitate potestatem, & nomen adipiscuntur; deinde aliquantò tempore viventes, turpissimè, atque oculis sine perduntur. Cornelius hic.

Hæc potestatis videtur esse cellitudo; sed est locus infimus, tanquam Inferno proximus, & à cœlo remotus: facile enim inde ad Infernum descenditur. S. Thomas opuic. 38. de erudit. princip. c. 1.

Multorum dominatio, est eorum damnatio: quot enim paupertas ad cœlum promovet, tot cum dignitatibus suis Infernus absorbet. Bensenf. ep. ad Priorem de Monasteriolo.

## §. X.

*Dignitates sunt onera.*

*Do tibi partem unam extra fratres tuos.* Gen. 48. 22. Dicebat Jacob Josepho. S. Hieron legit: do tibi humerum unum. Carolus V. jam ienescens, onerum Reipublicæ pertæsus, cum regnum in filium Philippum II. transferret, lacrymans dixit: ô fili! magnum tibi onus impono: ego enim totò tempore principatus mei, nunquam quadrantem horæ magnis curis, & anxietatibus, vacuum habui. Sylveira in Luc. 11. c. 9. 19.

*Cur imposuisti pondus universi populi hujus super me?* Numer. 11. 11.

*Ecce constitui te super gentes, & super regna.* Jerem. 1. 10. Potestne dari diploma illustrius, quam hoc? quòd propheta super regna Mundi constituitur? nunc audite, quod ætio-

M m m 3 num

num genus præcipiat rectori tam illustri, & dignitati tam speciosa: *ut evellas, & destruas.* Attonitus hic S. Bern. l. 2. de confid. exclamat: *ut evellas, & destruas?* rusticani sudoris schemate quoddam labor spiritualis expressus est. Oliva t. 2. conc. 27. die Ven. post Sexagesimam.

*Beatus venter, qui te portavit!* Luc. 11. 27. Cur non dicit, qui te genuit? sed protavit; quod pondus, & onus, inavit. Resp. Cum Virgo Christum concepit, supremam maternitatis Dei dignitate super omnes puras creaturas sublimatur: & quod major collata beneficiorum celsitudo; eò majus, graviusque, pondus imponitur. Sylveira hic q. 10.

*Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus est.* 1. Tim. 3. 1. S. Hier. ep. 83. *Opus*, non dignitatem; labores, non delicias; *opus*, per quod humilitate decreseat, non intumescat fastigiò.

Ad honorem vocavit te Deus propter onera; non ad multiplicandum numerum familiae, aut equorum; non ad dandas parentibus dignitates; *sed ad dandam scientiam salutis plebi ejus.* Blesens. ep. 15. ad comitem quandam electum in Episcopum.

Urbanus VII. quoties amiculum è subtili tela superindueret, alio pectore ingeminabat: quis crederet, sub tam levi sindone tantum ponderis delitescere? Incert. Author.

Qui vocatur ad Episcopatum; non ad principatum vocatur; sed ad servitutem totius Ecclesiae. Origenes hom. 6. in Iliam.

## §. XI.

*Dignitates amarae, molestae, cum crucibus, &c.*

*Ex Veteri.*

*Josue 8. 29. Regem suspendit in patibulo.* Quæ hujus ratio? quia rex erat: nam præstantia non semel est infortunij, ac calamitatis, illex. Quisquis alijs præstantior, ut plurimum infelicio. Naxera in Jos. 8. §. 32.

*Nunquid possum deserere pinguedinem meam? Judic. 9. 9. nunquid possum deserre dulcedinem meam?* ib. Quis cogit privari olivam pinguedine sua? ficum dulcedine sua? regnent cum pinguedine, & dulcedine. Hoc fieri non posse utraque arbor cognovit: neque enim bene convenit cum dignitate dulcedo; sola coronæ comes est amaritudo. Abulens. necesse erat, dimitti illam pinguedinem, si regnaret; & hoc, quia reges, si bene regunt, non debent attendere voluptatibus suis, sed subditorum: alioquin tyranni, & non reges sunt. Alvarez. Josephi. illustr. Gen. 41. illustr. 150.

*Duodecim leonculi stantes super sex gradus.* 3. Reg. 10. 20. Salomonis thronus non lascivij, sed leonibus, ambebatur. Oliva l. 12. Strom. §. J. N. R. J.

*Circumdederunt me sicut aves.* Ps. 117. 12. Utique de Judæis Christus id non loquitur, quos leones vocarat, cum Patrem precaretur.

*Salva me ex ore leonis.* Ps. 21. 22. Quos ergo, nisi Ecclesiae primates, hic fugillat, qui in eo apes amulantur: quod, sicut illæ delibant florem; spinarum amaritatem, & duritiam vitantes: ita Florem campi, non prohi animarum patres circumstant; quando ex eo regnum, & sacerdotium, delibant; spreis in eo, relicisque, clavis, aceto, cruce, spinis, contumelijs. Sugent & de Cruce Domini aliquid ingrata apes, Regis videlicet titulum; cætera Christo relinquunt. Oliva l. 12. Strom. hic.

*Venter tuus sicut acervus tritici.* Cant. 7. 2. Da mihi aliquid in Sæculo, quod, si frumentum est, acervus frumenti sit, vix granum sunt. Etiam Josephi suprema dignitas in manipulo solum adumbrata est. Gen. 37. 7. Quod si secundum post regiam in Ægypto fortuna, manipulus vix est; quid prætura est? quid quaestura? quid centurio? quid decurio? vix ipica est. Vel inter principes da mihi, quis sit acervus inter eos. Vix grana colliges; & quidem non in sudore tantum, sed in rubore quoque vultus sui. Et raro, quæ seminasti, illa & metes. Quis enim non clamat in aula: seminavimus multum, & intulimus parum. Aurum probatum expendimus; quod recepimus, plumbum est. Oliva l. 4. Strom. hic.

*Duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus velabant.* Il. 6. 2. En Seraphims cruciformiter extensos: referunt enim crucem, dum alas explicant ad volatum. O quam supremis crux propria fastigijs! super solium excelsum, & elevatum, emicabant elati; sed & imaginem crucis referebant extensi. Naxera in Jos. 13. §. 14.

*Appensus es in statera, & invenis es minus habens.* Dan. 5. 27. Non aurum, non argentum, non opes, non palatia, in stateram veniunt: solus rex appensus, & levis apparuit. Alvarez Josephi illustr. c. 41.

*Ex Novo.*

*Ostendis ei omnia regna Mundi.* Matth. 4. 8. Diabolus hic in principatu Mundi solum ostendit gloriam, splendorem, & divitias; celavit verò molestias, ac labores. Sylveira hic q. 8.

*Sunt de hic stantibus - donec videant Filium hominis, venturum in regno suo.* Matth. 16. 28. & tunc dicebant excessum ejus. Luc. 9. 31. Itaque cum Majestate Thaboris supplicia Calvarie copulantur? crux producitur, ubi sceptrum protenditur? squalor noctis cum sole conjungitur faciei? Nimirum majestas Ecclesiasticae dignitatis non pompæ militat, sed martyrio. Oliva l. 13. Strom. Luc. 9. 31.

*Potestis bibere calicem?* Matth. 20. 22. Quò insilit ambitio candidatorum non candida? purpuram rapitis; sed cruore ingemini; sellam ascenditis, sed crucem occupatis. Si præesse optas; non pulvinar meditare, sed equuleum: hac imbuendi animi patientia, qui scepra, infulasque, concipiunt. Oliva fer. 4. Dom. 2. Quadr.

*Potestis bibere?* S. Chryf. non habebant intelligentiam regni superioris: idem est regnare, & passionis calicem bibere.

*Villam emi; & necesse habeo videre illam.* Luc. 14. 18. Emit villam, antequam videret: honorem scilicet praelationis, & dominationem potestatis, ut explicat August. l. 33. de verb. Dom. quia si agnosceres labores & molestias, quæ praelaturæ insunt, potius illam abhorreret, quam appeteret. Sylveira hic.

*Scripti & titulum Pilatus.* Jo. 19. 19. Tandem regni titulum planè hæret in Cruce, qui clam tot elaborabat cruces in throno imperantibus. Jacta, si potes, nunc regij nominis felicitatem procul à supplicis abesse, quando regium titulum legis in Cruce. Oliva l. 12. Strom. §. J. N. R. J.

*Iris in cavite ejus.* Apoc. 10. 1. Dicitur hoc de Christo Ecclesiæ Capite. Ecclesiasticorum, & Religiosorum, corona, iris est; quæ elaboratur inter turbines, imbrum opus. Oliva l. 13. Strom. Luc. 9. v. 31.

Adrianus 11. Pontif. teste Petrarchâ nullum supplicium majus de hoste poscebat, quam ut Papa fieret. Bene allusit Poeta ad Crucem triplicem in Pontificis tiara:

*Cur tibi Crux triplex Gregori? triplex-  
que corona?*

*Nomme suam sequitur quæque coro-  
na crucem?*

§. XII.

*Contra fastum memento prioris status.*

*Ex Veteri.*

*A Gar, ancilla Sarai, unde venis?* Gen. 16. 8. Lyran. q. d. advertere debes, quòd tu es servilis conditionis respectu Sarai; & ideo non debes ei præferri.

*In baculo meo transivi Jordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.* Gen. 32. 10. Cum Deo reddit gratias, quòd jam dives rediret, refricat memoriam paupertatis; quæ solus peregrinus, unò comite baculo, iter egerat; idque humilitatis studio. Ramirez in ep. Chr. ep. 7.

*Protulit manum leprosam instar nivis.* Ex. 4. 6. Theodoret. q. 10 in Ex. dextera, quæ admiranda illa patrârat, eum prius fuisse leprosa, signis divinis inservivit, & elementa mutavit. Quæ res Moylen etiam admonuit, non superbi-  
re debere, sed agnoscere naturam, cum recordatione dexterae leprâ prius infectæ.

*Quid est, quod tenes in manu tua? respondit, virga.* Ex. 4. 2. Deus Moyfi illam ipsam virgam, quæ oves focerit agebat, voluit usui esse ad maxima quæque peragenda: ut quantò major sibi videri potuisset, virgâ mirabilia operando; tantò demissius se gereret ex ipsa virgæ contemplatione, quæ paulò antè alienas oves duxerat in deserto. Octavianus in Eccl. 3.

*Prevaluit David adversus Philistæum in funda, & lapide.* 1. Reg. 17. 50. In aula illius picturis statuatur Cherubim, id est, plenitudo sapientiæ; appareat sculptura palmarum, hoc est, de hostibus victoriæ, & reportata trophæa. Sed cherubim, & palmas, funda constringat; ut perenne illud memoriale in templi pariete affixum, pecuariæ artis vilitatem, & fundam pastoris patris sui in memoriam revocaret. Arcones in ll. 2. Disc. 4.

*Quis ego sum? aut quæ est vita mea? aut cognatio patris mei in Israhel, ut siam gener regis?* 1. Reg. 18. 17. S. Chryf. hom. de David: noverat, se pastorem esse ovium, & non genere nobilem. Sed quando factus est nobilis, agnovit, se ex nihilo fuisse tublevatum. Et quia non est oblitus, quis natus erat, perseveravit in culmine regali.

*Quis ego sum, Domine DEus, & quæ domus mea, quia adduxisti me lucum?* 2. Reg. 7. 18. Dixit hoc, post mille victorias, & promissiones ingentes Dei sibi, & filijs suis, à Deo datas. q. d. memini, DEUS meus, à qua paupertate, & abiectione, me in regnum sublimasti: ego sum ille minimus fratrum suorum; ille pastor ovium, qui nunc tuò beneficio populos pasco. Baeza t. 2. l. 10. cap. 3. §. 11.

*Salomon omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis calaturis, & toris.* 3. Reg. 6. 29. Pagninus ex Hebr. legit, *sculpsit sculpiuris fundarum, Cherubim, & palmarum.* In fundis mirabilis cognitio, & despicientia sui, eminebat in rege. Volebat demonstrare sapientiæ ornamenta, bellicam gloriam, & summam sui exaltationem, in funda patris sui Davidis habuisse exordium. Arcones in ll. 2. Disc. 4.

*Statuit duas columnas in porticu templi.* 3. Reg. 7. 21. In eis adumbratos Apostolos, & Doctores, fortes fide, & opere; & contemplatione ad superna erectos, censet V. Beda. Columnarum capita decorantur ducentis ordinibus malogranatorum, quæ quidem retibus involuntur ib. v. 17. 18. 20. Malogranata, & eorum coronæ, denotant regna, & urbes, quas Discipuli Christi ejus subjugarunt imperio: per retia ars piscatoria in memoriam revocatur. Id. ib.

*Et elegit David servum suum, & sustulit cum de gregibus ovium.* Psal. 77. 70. Euthym. hic: vide, quomodo verè, ac simpliciter, beatus David narrat, quæ ad se pertinent: minor de se asserere non puduit; & quæ majora erant, omisit: neque vires suas commemoravit, quas, aut adversus feras, sæpe ostendit, aut adversus Goliath. Nunquam dignior coronâ David extitit, quam cum in memoriam revocat pastoris humile officium, de Castillo Illat. 122. Qui fastum in sublimitate castigat, docet, se iteruisse, quod adeptus est. Ennodius l. 4. ep. 7.

*Ex*

## Ex Novo.

*Vos estis sal terra.* Matth. 5. 13. Ut contineat illos in munere, apponit illis vilem originem ex terra. Sylveira hic q. 5.

*Vos estis sal terra, vos estis lux Mundi.* ib. Cur prius sal vocat, quam lucem? Sal quid vile; lux excellens & nobilis. Et qui in dignitatis est apice, prius, & maxime, ante oculos habeat, quod est humile; ne effertur. Id. hic. q. 9.

*Esurvi, & dedistis mihi &c.* Matth. 25. 35. ita Dominus dicit, cum venerit in sede majestatis suae. Mirum, quod Dominus in gloria, & majestate tanta, de paupertate, & antiquis suis miseris, ita recorderetur. Cur non adducuntur alia justorum merita? fides in DEum, fortitudo, patientia? sed cur tantum fames, sitis, nuditas, & miseria, è memoria excidat. Sylveira in Jo. 1. q. 19.

*Ille verò dicebas, quia ego sum.* Jo. 9. 9. Qui divinò afflatur spiritu, non erubescunt abjecta secundum carnem natalicia memorare; nec favoribus divinis evechi dedignantur priorem mendicitatem fateri, dicentes: quia ego sum ille pauperulus, ille obscuris natus parentibus. Baeza hic t. 2. l. 10. cap. 3. §. 11.

Dominus Petrum laudans, patris ejus meminit: *beatus es Simon Bariona.* Matth. 16. 17. Et etiam, dum illum summum Pontificem creavit Jo. 21. 15. *Simon Joannis, diligis me?* Cur tali occasione patris mentionem facit? quia vult, ut quoties Christianus ad dignitatem evehitur, paupertatis suae, vilitatis generis; & cujus sit filius? recorderetur: ut hac memoriâ vinum honoris temperet. Diez, conc. 2. in festo SS. Petri, & Pauli. Cur non dixit, Simon Petre? ne, qui orbi praeficiebatur, ortus sui oblivisceretur vilitatem; sed antiqui hominis tinnit ante oculos haberet avitam, pauperem, angustam, parentum domum; quò se maxime in virtute confirmaret. Baeza l. 5. c. 6. §. 7.

Viligijs primus Elector Moguntinus tempore Ottonis secundi obscurò loco natus, parente rotariò, in conclavibus suis rotas fecit effigiari, cum lemmate: *Willegh/willegij; deiner Ankunft nicht vergiß.*

## §. XIII.

*Quinam ad Dignitates eligendi, & assumendi.*

## Primò

*Renuentes, & non ambientes.*

## Ex Veteri.

*Fecit, cum ascendere super currum suum secundum.* Gen. 41. 43. Joseph quasi vi illatâ intruditur. Sylveira in Luc. 10. quæst. 6.

*Applica quoq; ad te Aaron.* Ex. 28. 1. Ad quid accersitur Aaron? ut Sacerdotiò fungatur coram Domino. Non quaerit Sacerdotium; sed ad hoc quaeritur: forsân quaerens non consecuturus, de Castillo illat. 9.

Tolle Josue. Num. 27. 18. Significat quandam deductionem non voluntariam. Escobar t. 3. Colloq. Chr. sect. 2. Obs. 1.

*Quæstio Dominus sibi virum juxta cor suum.* 1. Reg. 13. 14. Et Pl. 88. 21. *inveni David servum meum, oleo sancto unxi eum.* David à Domino inventus, postquam illum quaesivit, non inter alios expectantem eligit, sed singulariter eam fugientem, q. d. David ubi es? ubi ille, qui fugit honores? denique fugientem honor, & gloria, comprehendit. Escobar. t. 1. mir. Chr. sect. 4. Obs. 2.

*AAA Domine DEUS, ecce nescio loqui.* Jer. 1. 6. Et tamen ait DEUS: *Ecce constitui te hodie, &c.* v. 10. Quid in blefo Jeremia vidit Deus, ut eum ita amaret, & promitteret tam felicem exitum? nullas in corde alebat appetitiones, non cogitabat elevationem. c. 17. 16. *diem hominis non desideravi.* Gilbertus serm. sup. Cant. nescio, quò pacto sibi advertatur, & alterutro se obscurot dies Domini, & dies hominis? siquidem, dum alter exoritur, alter reconditur. Diem, inquit, hominis non concupivi, id est, humanum favorem, hominum gloriam; & inter reliquos, imò præ reliquis, spectabilis videri. Oliva t. 3. conc. 24. die S. Lucia.

## Ex Novo.

*Assumptus est in caelum.* Marci 16. 19. *Ferebatur in caelum.* Luc. 24. 51. *Elevatus est.* Act. 1. 9. Omnes in passiva significatione locuti: innuentes, Dominum, & servos ejus, qui verè magni sunt, ad honorem sibi debitum tractos potius, & assumptos, quam euntes venire. Incert. Auth.

*Nisquam angelos apprehendit; sed semen Abrahae apprehendit.* Hebr. 2. 16. S. Chryl. hom. 5. hic. quid est, quod dixit, *apprehendit?* non apprehendit naturam angelorum, sed nostram. Quare non dixit, suscepit? sed istò verbo usus est, *apprehendit?* ex metaphora insequentium eos, qui aversi sunt; & omnia facientium, ut fugientes occupent, & ut resiliens apprehendere valeant. Aufugientem quippe ab ipso naturam humanam, & procul aufugientem, insecutus apprehendit. q. d. quia Angeli magnò numero, temerariò ausu, ad Dei sedem aspirarunt! homo autem, & maxime Abraham, pater multarum gentium, vilitatem originis recognoscens, divinum consortium refugiens, pulverem se, & cinerem reputans; Gen. 18. 27. idea ejus semen apprehendit. Honor insecutus fugientes se, deseruit quærentes se.

*Moses negavit se esse filium filiae Pharaonis.* Hebr. 11. 24. Verum ipsa dignitatis, & divitiarum, fuga, auxit dignitatem. *Ecce constitui in DEum Pharaonis.* Ex. 7. 1. S. Ambr. in Pl. 118. fugiendo potentiam potentior factus est: factus est enim in DEum regi Pharaoni. Naxera in Jos. 1. §. 38.

Quisquis dominari non appetit, is profectò fructuosè præest cæteris instituentis. S. Bern. f. 18.

Non volentes, neque currentes assumite; sed cunctantes, & renuentes; qui regibus Joannem exhibi-

exhibeant, Ægyptijs Moysem, fornicantibus Phinees, Eliam idololatris, Elisæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiantibus Christum. S. Bern. de confid. l. 4. c. 4.

*Cancer.* Lem: *Retrosedens accedit.* Per demissionem ad honores. Masenius in symbol.

## Secundò

*Digni, apti, meriti; non indigni.*

*Minimus, juxta ætatem suam.* Gen. 43. 33. Hæc est norma prudentiæ, lex justitiæ, juxta ætatem, & merita, loca impertire. Non quia aliquis plus amatur, ideo reliquis debet anteferi. Inter Apostolos magis dilectus Joannes; at non idcirco Caput aliorum electus. Plura dedit Joseph Benjamin; hoc declarat ejus amorem, locus commendat justitiæ. 2. Humilitas fecit digniorem pluribus gratijs; plurima accipit in novissimo sedens loco. 3. Fuit figura Joannis in ultima cœna favore majori præ aliis affectus. Alvarez Gen. 43. Illustr. 222.

*Ego tuli Levitas à filiis Israel pro omni primogenito.* Num. 3. 12. Origen. hom. 3. hic notat: Levitas assumi pro primogenitis; cum tamen, ut refertur Gen. 49. 3. Levi non fuerit primogenitus Israel, sed Ruben, secundus Simeon, tertius Levi. quomodo ergo Levitæ in primogenitos assumuntur? Quia apud Deum non illi primogeniti habentur, qui corporeâ nativitate præcedunt, sed meritis, de Cassillo Illat. 3.

*Montes in circuitu ejus.* Pl. 124. 2. Deus Mundi gubernator non patitur circa se apponi colles vulgaris peritiæ, montes expetit virtutis admirabilis, quæ vincant industriam vulgi. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Cant. 2. 8. Oliva t. 3. conc. 17. die 3. Ven. in Quadr.

*Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurij; ita qui tribuit insipienti honorem.* Prov. 26. 8. Hoc proverbium manavit à superstitione, & cultu Mercurij. q. d. sicut ad statuam Mercurij lapides mittere honoris causâ, summa dementia est, quia statua Mercurij aut lapis est, aut lignum nihil sentiens; ita stulto homini honorem tribuere inscitia est. Cornelius hic.

*Cito proferre stolam primam.* Luc. 15. 22. Non tamen legitur, illi datus primus locus: habebat enim seniorem fratrem, cui locus ille meritò reservabatur. Alvarez Gen. 43. Illustr. 226.

Scholares pueri, & impuberes adolescentuli, ob sanguinis dignitatem, promoventur ad Ecclesiasticas dignitates; & de sub ferula transferuntur ad principandum presbyteris: lætiores interim, quòd virgas evaserint, quàm quòd meruerint principatum. Sancti Bernard. ep. 42.

Quid est dignitas in indigno? nisi ornamentum in luto. Et ideo cunctos, qui sacri altaris suggestu eminent, tantum oportet excellere meritò, quantum gradu. Salvianus ad Eccl. Cath. l. 2.

Facem ponite, non dico in infima Lunæ sphaera, sed in infima regione aeris, situ altiore, quàm opus sit; lux illa statim evanescet; quæ in cubiculis admota noctem mutat in diem. Si horologio grandi tollas pondera gravia, eaque appendas exili; mole oppressum ita rotarum cursum præcipitabit, ut horæ momentis affluant, & dies horæ quadrante excurrant. Sic evenit, cum inepti judices sunt rerum magnarum. Oliva t. 3. conc. 17. die 3. Ven. Quadr.

Est facetum adagium Plutarchi: capram gestare non valeo, bovem tamen superimponere labore.

## Tertiò

*Boni, & probi.*

*Elegerrunt bonos in vasa.* Math. 13. 48. Quò significatur, nè in capita promoveant inidoneos, & dignos repellant. Hujus doctrinæ academia arca Noe Gen. 6. belluæ ad carinam; homines, & volucres in tabulatione summa. Castellus, licet arca rectori blandiretur, & familiae delicias faceret; ovis, licet ei lac, & lanam daret; non tamen admissi ad tabulatum summum, in quo agebat corvus, quanquam fugitivus, quia volucris erat. Idem ordo servatus in statua Nabuchodonosori, Dan. 2. 34. Statuæ caput ex auro. Sed major schola ordinis ad sedem agni regnantis Apoc. 4. 6. *in conspectu sedis sanquam mare vitreum.* Cur non sol? quia hic nullò optimi, pessimive discrimine, tam citata, quàm rosæ, præstat maturitatem; ranam juvat, & hominem; plumbum, & aurum. At mare, quæ indigna sunt, expellit constanter; & pretiosa amanter fovet; cadavera, & algam, in littus ejicit; in gremio retinet corallia purpurata, & margarita candentia. Il. 7. 15. *ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Dicitur in folio sedens à mari, non promovere indignos, sed expellere; amplecti bonos & dignos. Oliva t. 1. conc. 13. in festo S. Lucae.

*Cum dies factus esset, vocavit Discipulos suos.* Luc. 6. 13. q. d. factâ die clarâ eligit: ut doceat quòd, qui assumendus est in ministerium Ecclesiæ, sit ex omni parte cognitus, visus, & probatus. Sylveira in Matth. 12. c. 4.

Antistes Ecclesiæ, qui virtutibus, & sapientiâ, fulgere debuerat, aurò nitet, & sericò: & animarum ornatus hodie in corporis cultum permutatus est. Favore, non meritò, Ecclesia regitur; & ad curam gregis non sapiens pastor, sed potens, queritur; non innocens, sed dives: & qui populum magis potentiâ opprimat, quàm vitâ ædificet. Sancti Thom. Villan. f. 4. Nat. Dom.

Quartò  
Non mali.

*Vidi servos in equis* &c. Ecclæ. 10. 7. S. Greg. 31. moral. c. 10. Equi nomine dignitas temporalis accipitur, Salomone testante, qui ait: *vidi servos in equis*. Omnis quippe, qui peccat, servus est peccati: & servi in equis sunt, cum peccatores presentis vitæ dignitatibus efferruntur. Principes verò quasi servi ambulant: cum multos, dignitate virtutum plenos, nullus honor erigit; sed summa hic adversitas velut indignos, deorsum premit. Cornelius hic.

*Subter eam* (arborem) *habitabant animalia & bestia; & in ramis ejus conversabantur volucres cæli*. Dan. 4. 9. Per animalia, & bestias intellige homines animales; mentes carnales, & sæculares: per volucres, accipe spirituales; honorum studiorum, & sanctorum desideriorum alis ad cœlestia volantes. Discant Prælati nostri, discant hic, quid facere debeant; discant, inquam, indisciplinatos mores premere, bonos attollere, & honorare. Quid, quæso, hoc genus monstri est; quòd nostri temporis arbores, ursos, & leones, & alias hujusmodi quaslibet bestiales mentes, portent in ramis; volucres verò cœli, contra conditionis jura, Creatorisque instituta, premunt in imis? Quoties ego ipse *vidi*, vidensque ingemui, *impium super exaltatum Pl. 36. 35. & elevatum super cedros Libani!* Quid, quæso, eis aliud, quàm ruinam paratis? dum eos ad alta suspenditis, & quasi in ramis portatis. Quid aliud, quis suo sublimatori, vel potius subvertori, daturus est in fine, in ipso confinio

ruinæ? nisi: *quia elevans alligasti me*. Rich. à Sanct. Victore de erud. hom. inter. l. 2. cap. 17.

## Miscellanea de Dignitatibus.

*Dixit ostiaria*. Jo. 18. 16. Non est mirum, si Christum negat in curia, qui introducitur ab ancilla. Ingressus enim in atrium Pontificis, est ingressus ad dignitates Ecclesiasticas. Ancilla introducens est Caro vel carnalis parentela; & qui sic per Carnem intrant; fures sunt, & trones. Ipsi enim non per sanguinem Christi, quò linitum debet esse ostium, intrant; sed per sanguinem proprium: cum tamen præcipitur Ex. 12. quòd postes linitantur sanguine agni. Hugo Card. hic.

Propter hoc dignitates posticæ sunt, ut major pietas ostendatur: mirabilis etenim, quando quis in divitijs, & potentia agens, fuerit talis. Sanct. Chryl. hom. 22. in acta.

Monstruosa res, gradus summus, & animus infimus; sedes prima, & ima; lingua magniloqua, & manus otiosa; sermo multus, & fructus nullus; vultus gravis & actus levis; ingens auctoritas, & nutans subtilitas. S. Bernard. l. 2. de confid. ad Eugenium. c. 7.

Joannes X. Pont. ex humili genere ad summum Pontificatum evehctus, in annulo pretiosum lapidem pro sympolo usurpavit cum lem: *Tunc gutta, nunc gemma*. quia ex aquæ guttis, sole cooperante, coalescunt. Masenius l. 2. argut.

Fumus. Lem. *Ascendendo defuit*.

## TITULUS IX.

## DIJ.

**A**Nseres Romana Capitolia à Gallo hoste servaverunt. Meritò debes illis Roma, quòd regnas: Dij tui dormiebant, & anseres vigilabant. Ideo illis diebus anseri sacrificas, non Jovi: cedunt enim Dij vestris anseribus, à quibus se sciunt esse defensos; nè & ipsi ab hoste caperentur. Sanctus Ambrosius l. 5. hexam. cap. 13.

Utile esse civitatibus, dicit varro, ut se viri fortes, etiam si falsum sit, ex Dijs genitos esse credant: ut eò modò animus humanus, velut diviniæ stirpis si luciam gerens, res magnas aggredientas præsumat audacius, agat vehementius; & ob hoc impleat ipsa securitate, felicitus. S. Aug. de Civit. lib. 3. c. 4.

Complures, non modò veteres, verum etiam ætatis nostræ, cum amantissimos quosque amisissent patres, cognatos, & uxores; plurimæ item orbata viris, quos omnes natura prodidit, fuisse mortales: hos, atque has, per immodicum affectum atque luctum, pinxere; sicque, pictis, seu fictis, hostias immolaverunt. Quos secuta posteritas ob elegantiam fictionis, artificisque peritiam, illos ut Deos coluerunt. S. Athanasius Alexandr. libro contra Gentiles.

Quæ quisque pulcherrima animadverterat, ea sibi, tanquam Deos, præstituit. Siqui autem affectionibus & morbis, animi, plus quò dedit erant; has ipsas sive perturbationes, sive morbos, Deos esse putarunt; vel Dijs saltem eos consecrarunt. Iracundiam scilicet, coedes, Lasciviam, Ebrietatem &c. S. Greg. Naz. or. 2. de relecta rat.

Cum aberrarint quidam ab uno Deo diversimodè multi sentiebant: ac alij quidem solem ponebant; ut occidente sole, noctis tempore, sinè Deo essent: alij verò Lunam; ut in die Deum non haberent. Alij amore mulierum furentes, nude mulieris idolum in sublimi statuente adorabant; ut cupiditas illorum appareret. Alij verò ob auri splendorem in stuporem redacti, hociusmodi, & cœteras materias, Deos finxerunt. S. Cyrill. Jerof. Catech. 4.

Ausi sunt nonnulli impiè unum Deum dividere sermone; & aliqui dicebant: alium esse animæ opificem, & Dominum; alium verò Corporum; absque ratione, simul & pietate, docentes. Quomodo enim duorum Dominorum unus homo servus esset; cum Dominus dicat in Evangelio. Math. 6. 24. *nemo potest duobus dominis servire*. Id. ib.

Titu-

## TITULUS X. DISCIPULI CHRISTI.

## §. I.

*Figura.*

**I**N Elim, juxta duodecim fontes aquarum, septuaginta duæ palmæ erant. Ex. 15. 27. Interpretes septuaginta duo fuerunt, qui rogatu Ptolomæi Scripturam ex Hebræo transfulerunt. Concilium magnum Senedrim ex septuaginta duobus Senioribus constabat. Juxta Isidorum l. 1. etymol. 22. in veste Pontificis septuaginta duo mala Punicæ, & totidem tintinabula erant. Ex. 28. 33. Sic & Christus, designando Discipulos, dedit Ecclesiæ suæ septuaginta duas palmas victrices de inimico. 72. Interpretes, & magistros S. Scripturæ; 72. viros magnos, regimen, & consilium; 72. tintinabula circumdata malo Punicæ charitatis ad docendum, & prædicandum. S. August. in qq. Evangelicis, Beda, Hugo: per hunc numerum ostendit Dominus, quod per hos, & eorum sequaces, erat annuntiaturus Mundo fidem Trinitatis. Unâ die per 24. horas à sole totus illustratur orbis: Sol ergo per triduanum ambitum suum, 72. horas facit. Christus, qui se diem, & lucem, appellat, per hunc prædicantium numerum, significat, fidem, & lucem Trinitatis, toti orbi annuntiare, ac per eam Mundo maximè illuminare. Beda, Bonav. &c. mittuntur 72. qui totidem linguarum Gentibus prædicarent: ut sicut primò Apostoli, propter duodecim tribus Israel; ita & hi, propter exteras Gentes destinarentur imbuendas. Nam juxta Aug. Hier. Prosper. &c. in 72. Gentes, & linguas, divisi fuerunt homines in dispersione Babel: Ut Christus D. omnium Gentium, & linguarum, se Redemptorem ostenderet, 72. Discipulos elegit, ut 72. Gentibus responderent; ac sic cuique Genti, & linguæ Christus suum attribuit Discipulum, ut illius curatorem, ac præceptorem. Sylveira in Luc. 10. c. 18. q. 2.

## §. II.

*Cur Christus misit Discipulos binos?*

**U**T alter alteri esset auxilio, solatio, consilio, excitamento. Orig., Theophyl., Bonav., Dion. Carthul. Ecclæ. 4. 9. *melius est duos esse simul.* Sic Christus Petrum, & Joannem, mittit ad parandum Palchæ. Luc. 22. 8. Sic duobus Emmaunitinis apparet. Luc. 24. Sic Petrus, & Joannes sæpe sociati; sic in Thabor Moyses, & Elias, cum eo loquentes, ob testimonium à Lege, & Prophetis. 2. Quia prædicaturi erant geminam Christi naturam, duplicem Christi adventum, duo testamenta; verbum, & Sacramen-

tum; fidem, & opera; gemina charitatis præcepta. 3. S. Greg. hom. 17. in Evang. qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet. Character, & nota, prædicatoris est Evangelici, ut alios Prædicatores diligat. Si injurius, invidius; verus Prædicator non est. Sap. 7. 13. *sapientiam sine fisione didici, & sine invidia communico.* Sylveira in Luc. 10. q. 7.

Designantur, sicut qui ad militiam eliguntur, & mittuntur ad pugnam; illâ disciplinâ militari, quæ congruens fuerit, & quam statuerit Imperator. Quod bini mittuntur, pertinet ad veritatem, & cautelam, & ad testimonium sanæ doctrinæ: ut verecundiæ socii, qui loquitur, moderetur sermones, & disponat in judicio; nè plus, quàm expediat, effluat, & loquatur in pertinens. Et ad fulcimentum tenendæ societatis, ut unus releveret ab altero. Sim. Cass. l. 9. c. 26.

## §. III.

*Discipulus malus opprobrium Magistro.*

**M**agister, sequar te. Matth. 8. 19. Cur Christus illum repudiavit? malus erat Discipulus: vulpem sub ore tegebat. Nota fieret Magistro, si fidei ageret. Sic Isid. Pelus. l. 1. ep. 17. nè pertinax illius improbitas ijs, qui fidem amplecterentur, offensionis causam afferret, Domini potentiam calumniantibus: ut qui Discipulum ad virtutem immutare non potuisset. Cum è Christi schola Judas abiisset, dixit Jesus Jo. 13. 31. *nunc clarificatus est Filius hominis: ac si honestarum se Magister significaret, cum Discipulum improbum à sua schola abegit.* Navum talem, ut à se abigeret Christus D. Petro imperat: *mitte gladium tuum in vaginam.* Jo. 18. 11. Aurem Malcho Petrus sui impotens absciderat, Magistro ad crucem, & necem paratò, Quid Christus? gladium extorquet è manu Petri. Tertull. l. de patientia c. 3. patientia Domini in Malcho vulnerata est. Poterat enim improbus quisque dubitare; an non Discipulus impatiens à Magistro hausisset impatentiam? Tertull. nè unius quidem discipuli gladium in ultorem probavit. Velloso in Judith 5.

*Epistola nostra vos estis.* 2. Cor. 3. 2. Quidquid enim illud est, quod eas fecit literas, quæ commendant nos redduntque reverendos; hoc vos facitis, dum & vident vos, & de vobis audiunt omnes, propterea, quod Discipulorum virtus præceptorem ornare solet, & commendare, plusquam ulla epistola. S. Chryl. hic hom. 6.

## TITULUS XI. DISCORDIA.

## §. I.

*Symbola, & similitudines.*

**D**ivisiq, aquas &c. Gen. 1. 8. 9. Opus etiam illius diei secundi divisionem contrariam quodammodo unioni designabat: eo enim die fecit firmamentum, quod divideret aquas, quæ erant supra illud, ab eis, quæ erant infra; cum tamen antea essent unitæ. Cornelius in Cant. 4. Cur secundâ die non dixit Moyses: & vidit Deus quod esset bonum? Respondent aliqui: opus hoc non tam fuisse creationis, quam interstij, & divisionis aquarum superiorum ab inferis, per interpositum firmamentum. Unde collige, quàm ingens malum divisio, & discordia. Cornelius hic. Non poterat secundus dies, qui numerum facit, qui ab unione dividit, Dei sententiâ comprobari. Sanct. Hier. in c. 1. Aggai.

*Non adfinitis illud de sectis lapidibus.* Ex. 20. 25. Secti lapides ij sunt, qui unitatem scindunt: tales in corpore suo Christus non recipit. V. Beda. De sectis lapidibus altare reprobatur Deus. Secti lapides sunt, qui fraternæ societatis consortium respuunt; qui vivere cum fratribus, & conversari concorditer nolunt. B. Petr. Dam. l. 5. ep. 20.

*Contristatus est David, eo quòd divisisset Dominus Ozam.* 1. Paral. 13. 11. Domus, aut ædificium, cum dividitur, & rimas agit; ruinam minatur: navis quoq; quæ circa latera rimosa, aquam bibit, in naufragij periculo versatur. Divisio mortis est caula; & sæpe in sacris literis pro morte accipitur. Beseus D. Septuag.

*Atrium autem, quod est foris &c. & nè metiaris illud.* Apoc. 11. 2. Notat Hugo Card. justos mensurari, iniquos numerari. Metire templum Dei, id est, Fideles, & electos. Et supra c. 9. 16. de iniquis numerus equestris exercitus. Sic Dan. 5. 26. numeravit Deus regnum suum. Discrimen: mensuratur continuum; numeratur divisum. Justi inter se uniti, & per amorem quid unum; & ideo mensurantur. Sed iniqui divisi numerantur. Sylveira hic.

## §. II.

*Motiva vitandi.*

## I.

*Discordia chara Dæmoni.*

**D**escenderuntq; volucres super cadavera. Gen. 15. 11. Nulla res sic inescantur volucres malignæ, quàm divisione. S. Isidorus in Gen. 12. per volucres descendentes supra corpora, quæ divisa sunt, spiritus immundi significantur; paulum quendam suum de carnalium divisione quærentes. Bæza t. 2. l. 6. c. 3. §. 15. Obtulit Abraham Deo vaccam, & capram trimam, turturem, quòque, & columbam; qui tollens divisit ea; vaccam puta, & capram per medium; aves autem non divisit. Cùmque hoc sacrificium

litaret, descenderunt volucres super cadavera. S. Ambr. Lyra, & alij, legunt: descenderunt volucres super cadavera divisa. Ad divisa delapsæ aves, id est, dæmones. Ab avibus abstinerunt, quia hæc divitæ non erant; cætera secta: quò significatur magna unionis potentia. Did. Niff. D. 3. Quadr. §. 5.

*Eligite ex vobis virum.* 1. Reg. 17. 8. clamavit Goliath licet armatissimus contra Israël. Nota bellæ pusillanimitatem, qui cum uno tantum vult pugnare. Sathanas, de quo Job 41. 24. non est super terram potestas, quæ comparetur ei, curat, quoad potest, nos divisos, & discordes, invenire, & singulare certamen inire. Quia ergo tot inimicitias inter Christianos invenit, ideo tot victorias reportat. Diez, conc. 3. in Communi Apoft.

Triumphus dæmonum est dissensio Christianorum. S. Aug. l. 156. de temp.

Sicut in pace factus est locus Domini. Pf. 75. 3. Sic in discordia locum diabolo fieri manifestum est. Sanct. Bernard. l. 3. in Ded. Eccl.

## 2.

*Discordia noxia, accelerat interitum.*

Quòd si linguarum discordia admirabile illud opus Babylonicæ turris conturbavit, & destruxit. Gen. 11. 7. quantò magis cordium discordia nos omnes poterit evertere. Ex elementorum concordia pretiosæ margaritæ generantur, aurum, argentum, cæteraque metalla. Ex humorum concordia oritur valetudo; discordia origo morborum, & mortis est. Diez fer. 6. D. 3. Quadr.

*Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Osee 10. 2. Quomodo enim valet quis vivere, si divisio est in corde? unde divisio cordis esse nequit sine vehementiâ doloris. Tantæ enim voluntatis, tantæque unitatis, est cor; ut si acu pungatur; ita ut modica divisio sublequatur, continuo moritur. S. Bonav. l. 20. D. infra Epiph.

*Gens in gentem, & regnum in regnum.* Math. 24. 7. Sic distracti in partes populi Anti-Christo locum dabunt, ad terræ cladem ultimam. Velloso in Judith 1. Paræn. 16. Unde amplius est Turcarum potentia? unde ejus imperium sic sublimatum est? nisi ex discordia Christianorum. S. Thom. Vill. Conc. de fœd. inter Rom. Pont. Imper. & Venet.

*Descendebat ab Jerusalem in Jericho.* Luc. 10. 30. Descensio à Jerusalem, aversio est à pace, & quiete. Malè sibi providet, & ad gehennam se parat, qui à pace fecit abcessum. Sim. Cass. l. 6. c. 10.

*Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur.* Luc. 11. 17. Quoquò modò connexa, divisa depereunt; regna, provinciæ, civitates

tes, domus, familiae, aut quodcunque vinculo colligata; cum in discordiam venerint, interitum faciunt. Sim. Cass. l. 5. c. 23.

Quidquid capit divisionem, & interitum capiat, necesse est. Lactantius l. 1. Instit.

Si in uno membro totum corpus violatur, utique in uno homine communio totius humanitatis solvitur. Violatur natura generis humani, & S. Ecclesiae congregatio. S. Ambr. l. 3. c. 3. Offic.

*Carbones. Lem. Extinguimur, si distinguimur.*

## §. III.

*Alia motiva.*

**S**anct. Chrysostomus probat, elementa DEOS non esse, ob eorum discordiam: si sunt elementa dii, quomodo pugnant inter se? quomodo armantur ad bellum inter se gerendum? in Pl. 2.

Qui ab unitate dividitur, ne dubites, quin ab eo recesserit spiritus vitae. S. Bern. Festo S. Michael.

Respice volatilia caeli, respice bestias agri, attende pisces in mari; non tantam divisionem in eis invenies, sicut in hominibus esse patet. S. Bonav. l. 29. D. infra Octav. Epiph.

Vulgò dicitur: in denario litis non est obolus amoris. Gerfon de præceptis Decalogi c. 9.

Vide tit. Divitiarum.

## §. IV.

*Discordiarum origo.*

**D**ivisi per medium. Gen. 15. 10. Anima dividuntur: quia inter malos semper sunt jurgia, & discordia: quia, ubi quilibet quaerit, quod suum est, non potest esse unitas. Aves autem non dividuntur: quia boni semper servant unitatem in vinculo pacis: Hugo Card. hic. Felix erit civitas illa, in qua haec duo verba *meum, & tuum*, non audiuntur: eò quòd communibus rebus, quæ alicujus æstimationis sunt, quoad fieri possit, cives utantur. Dicebat Plato, teste Stobæo f. 72. Duo fratres, propter morum arborem, graves habebant rixas; quòvis eorum suam esse asserente; S. Franc. de Paula charitate motus, optans lites tollere, ad orationem confugit; & eà finit ad arborem conversus: ò creatura DEI, ait, ego minimus servorum ejus, in nomine sanctissimæ Trinitatis impero tibi, ut componas litigia inter istos dominos temporales. Et mox arbor illa in duas divisa partes aequales, ut quisque dimidium habuerit. In vita ejusdem.

Si non est JESUS, illic seditiones, & lites, & p. lia sunt. Orig. tr. 35. in Matth. 27.

Si solus DEUS coleretur, non essent dissensiones, & bella; cum scirent homines, unius se DEI filios esse; ideoque divinæ necessitudinis sacro, & inviolabili, vinculo copulatos; nullæ fierent insidiae: cum scirent, cujusmodi poenas DEUS animarum interfectoibus præparet; qui clandestina scelera, & ipsas etiam cogitationes, prævidet. Lactantius. l. 5. div. instit. de justitia,

Multi vel in hodiernum usque diem bella habent in ædibus: & hic quidem oppugnatur ab uxore, ille verò obliedetur à filio; alius autem à fratre, & alius domatur à famulo: & nemo subductâ ratione apud se cogitat, quòd, nisi peccata seminasset, non in domo sua spinæ, & tribuli, succrevissent: nisi peccatorum scintillas occultasset, domus non conflagraret. S. Chryf. in Psal. 3.

Procurandum nobis est, ut nostra potius emendare vitia, & mores corrigere, studeamus. Quæ procul dubiò, si fuerint emendata; non dicam cum hominibus, sed etiam cum feris, & beluis, facillimè nobis conveniet. Jo. Cass. de Cænob. instit. l. 9. c. 8.

S. Andreas Corsinus discordibus Florentinis prædicans, surgite, inquit, levate capita, & videte, unde vestra rixæ? & viderunt super civitatem innumerabilem multitudinem corvorum, qui erant daemones in ea; ex quo pacificati sunt. Bollandus 30. Jan.

## §. V.

*Contra Discordiarum seminatores.*

**I**ntenderunt arcum suum. Pl. 36. 14. Cum videris aliquem, vitium, & passionibus, agitatam, circuire, & perturbare omnia: nolo dubites, quòd ille sagitta diaboli est; & os ejus posuit arcum suum, & tetendit sagittas verba ejus; ut sagittet rectos corde. Orig. hom. 3. hic.

*Beati pacifici, quoniam filii DEI vocabuntur:* Matth. 5. 9. Beati pacifici, id est, pacem facientes. Sic maledicti, qui pacem impediunt: quoniam filii diaboli vocabuntur. S. Vinc. Ferr. l. 1. in Festo Corp. Chr.

*Inimicus homo hoc fecit.* Matth. 13. 28. Admonendi sunt, qui jurgia seminant; ut, cujus sunt sequaces, agnoscant. In uno malo innumera peragunt: quia, seminando discordiam, charitatem, quæ virtutum omnium mater est, extinguunt. S. Greg. p. 3.

*Non criminatrices.* Tit. 2. 3. Græcè diabolus significat propriè calumniatrices, quæ lites ferunt; aliosque ad rixas, & pugnas, accendant. Cornelius hic.

*Misit serpens ex ore suo &c.* Apoc. 12. 15. Os diaboli, est seminantis discordiæ os. S. Bonav. l. 2. fer. 4. Pent.

Quidquid separat fratres, Infernus est appellandus. S. Hieron. lib. 3. in Ol.

Væ homini illi, per quem unitatis vinculum jucundum turbatur! Judicium profecto portabit, quicumque est ille. Antè mihi contingat mori, quàm audire in vobis quempiam justè clamitantem: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* S. Bernard. l. 29. in Cant.

Discordiæ, vel odij, ignem incendentes, excluduntur à consortio Sanctorum; sicut incendiarii excluduntur per excommunicationem à consortio Fidelium. Geminiani l. 8. c. 18.

## TITULUS XII. DISCRETIO.

## §. I.

## Symbola, &amp; Similitudines.

**E**Go sequar paulatim vestigia ejus. Gen. 33. 14. Sicut video parvulos meos posse. Discant hoc indiscreti, qui non expensis suis viribus, cursum feruntur per viam Spiritus; ut antè deficient, quàm perficiant iter. Did. Niss. polit. coel. p. 2. lib. 7. cap. 9.

Nosti Domine, quòd parvulos habeam teneros &c. Gen. 33. 13. 14.

Ibant in directum vacce non declinabant, neq; ad dexteram, neq; ad sinistram. 1. Reg. 6. 12. ita & sancti viri. Mendoza hic.

Inter medios fines. Marci 7. 31. Infensus est DEUS extremis. Transit Dominus inter media duo cornua: ut doceret, quòd eundem, si prosperum viarum nostrarum exitum velimus, medium tenendum. Did. Niss. D. 11. Pent.

Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur. Luc. 3. 5. S. Greg. Nyss. tr. 2. in Pf. c. 9. jubet compleri valles, & complanari colles, & montes: quòd mihi nullo aliò consilio dixisse videtur; quàm, ut ostenderet; in virtutis studio excessum, defectumque; seu nimium, & parum, diligenter attendendum esse: ut, neque per defectum boni, virtutis rationem quasi excavemus, & exinaniamus; neque etiam, per excessum, reddere inaequalem conemur. Id. ib.

Omni ciborum sal salubre est condimentum, si mensura non desit; alioquin sine modò & ipsum perit; &, quòd salierit, perdit: amarum enim nimietas, quòd poterat condire mensura. Id. D. 1. Pasch.

## §. II.

## Discretio commendatur.

**I**n campo, & frano, maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Pf. 31. 9. Hebr. in flagello, & frano. Frano utimur, ut praceps brutum coerceamus; flagello, ut ignavum excitemus. S. Petr. Dam. l. 6. ep. 26. in conventu spiritualium fratrum tunc discretio ordo congruè geritur, si moderatio Rectoris imitetur diligentiam equitis: ille siquidem calcantibus utitur, ut impellat; frano, ut reprimat. Id. ib.

Attingit à fine usq; ad finem fortiter; & disponit omnia suaviter. Sap. 8. 1. Rich. à S. Vict. p. 2. in Pf. 44. à fine inchoationis usque ad finem consummationis. Tu fortiter inchoas, tepide consummas. Cur hoc? nisi quia non disponis omnia suaviter; nec scis operari sapienter: incipis, curris, festinas, anhelus lassaris, deficis; non dicam ad finem, sed nec ad medium pertingis.

Quidquid cum discretione feceris, virtus est; quidquid sine discretione gesseris, vitium est. S. Isidor. l. 2. folioq. c. 16.

Est discretio non tam virtus, quàm quaedam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit. S. Bern. l. 49. in Cant.

Semper, quòd mediocritatem custodit, amabile est; quòd verò modum non servat, injucundum. S. Chryst. hom. 16. in acta.

Cum nihil aliud sit virtus, quàm affectio ordinata, & moderata; ex intentione bona agitur, ut sit affectio ordinata; & per discretionem efficitur, ut fiat moderata. Rich. à S. Vict. de arca myst. c. 23.

Optima inter virtutes noscitur esse discretio; quæ gradiens inter bonum, & malum; inter bonum, & bonum; inter malum, & malum; inter opinionem, & verum; inter voluptatem, & necessitatem; inter virtutem, & famam; inter competentia corpori, & spiritui: semper ad tutiora declinat, deviatque pejora. Sim. Cass. l. 7. c. 1.

Coram S. Dominico tripudiabat demon cantans: magis & minus! magis & minus! Cum autem adjuratus ab eo esset, quid sibi hoc vellet? respondit: quòd, quidquid ipsi lucrantur in hoc Mundo, totum fit per majus & minus: medium autem est, quòd placet DEO, & displicet diabolo. S. Vinc. Ferr. l. 4. D. 4. Adv.

## §. III.

## Discretio spirituum.

**D**entes suis sicut greges confarum. Cant. 4. 2. Dentes sunt discussiones discretionis; quibus meditationes spirituales, & cogitationes cordis, cernuntur, & comminuuntur, ac discernuntur: an pura sint, & veraciter bonæ? an sint à Deo, vel à spiritu malo, vel a corde humano? Rich. à S. Vict. l. 17. in Cant.

Nasus tuus sicut turris Libani. Cant. 7. 4. Rectè per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. Unde & in laude Sponsæ dicitur: *nasus tuus &c.* quia nimirum S. Ecclesia, quæ ex causis singulis tentamenta prodeant, per discretionem conspicit; & ventura vitiorum bella ex alto deprehendit. S. Greg. l. past. off. p. 1. cap. 11.

## §. IV.

## Indiscretio.

**D**omine, tu mihi lavas pedes? non lavabis &c. Jo. 13. 6. 8. Domine, non tantum pedes meos, sed & manuum & caput. v. 9. Chrylost. in recusando vehemens Petrus, & in permittendo vehementior.

Plerum-

Plerumque virtus, cum indiscretè tenetur, amittitur; cum discretè intermittitur, retinetur. S. Greg. 28. mor. c. 6.

Ferunt in processione Crucem sine candelis accensis, qui ferunt Crucem poenitentiae sine discretionè. Stella de cont. van p. 3. c. 69.

Non vult DEUS, ut destruas corpus, sed vita: hodie currere, & cras fatigatum jacere, non est fructum facere, sed impedire. Hodie nihil, & cras nihil habere, non est paupertatem ama-

re, sed cupiditatem nutrire. Hodie necessaria respuere, & cras singularia velle; non est abstinentis, sed gulam irritantis. Hodie non velle comedere apposita, & cras de exiguo murmurare; non est iudicium animae abstinentis, sed monstri impatientis. Hodie tantum legere, & scribere, ut doleat caput; non est animum pascere, sed ad alia opera bona impotentem reddere. Id. ib.

## TITULUS XIII. DIVITES.

### §. I.

#### Figurae, & Symbola.

**D**ivites querunt, & esurierunt. Pf. 33. 11. Hebr. Leones. Chald. *catuli leonum* eguer, & esurierunt.

*Confringatur rota super cisternam.* Eccl. 12. 7. Bene comparat Salomon vitam hominum rotam super cisternam: nam sicut, aliis urnis repletis alia vacuae sunt; sic in Mundo, ut aliqui distent, alii debent fieri pauperes. Stella p. 2. cap. 88.

*Venatio leonis onager in eremo; sic & pascuis divitum sunt pauperes.* Eccl. 13. 23. Infidiatur quasi leo in spelunca. Pf. 9.

*Sicut ignis, qui comburit Sylvam.* Pf. 82. 15. Per Sylvam divites intelligimus. In sylva est copia arborum infructuosarum: sic in talibus copia divitiarum, quae infructuosae sunt. Hugo C. hic.

*Lupus & agnus pascentur simul.* II. 67. 25. Lupum vocat divitem, agnum verò pauperem. S. Chryf. tom. 6. serm. de inob. hom.

*Aquila grandis plena plumis.* Ezech. 17. 3. S. Greg. 31. mor. 19. Aquila est Nabuchodonosor prae multis divitiis plenus plumis. Al-drovandus Ornithol. c. 1. Plumae significant opes, quibus abundabat: nam plumae regum sunt opes. Sicut enim aquila sine plumis volare nequit; ita & principum dignitas omnis, nisi pecuniâ, quae belli nervus est, sulta; enervis, & robore carens, facile corrui. Cornelius hic.

*Ululate quercus Basan.* Zachar. 11. 2. Chald. *ululat. satrapa provinciarum* Quasi inter homines idem sit dives, quod inter arbores quercus: quippe quercus frugifera est, sed sibus alendis, non hominibus. Sic divites, instar quercus, canibus, & equis, alendis invigilant. Baeza t. 2. l. 10. c. 8. §. 3.

*Filius (reguli) infirmabatur Capharnaum.* Jo. 4. 46. S. Anton. f. 21. Trinit. *Capharnaum* interpretatur *ager pinguedinis*, vel *villa consolations*. Sim. Cass. l. 1. c. 18. amor ejus aegrotaverat in pinguedine Mundi. In abundantia temporalium rerum habitâ vel quaesitâ, infirmatur hominum amor; qui, dum habet abundè, quod habendum est temperatè; ipsâ intemperie est aegrotus. Pf. 72. 7. pro-

*dit quasi ex adipe inquit.* Sylveira hic q. 6.

Valles dicuntur homines divites; quia vallis est terra deliciofa, & pinguis. S. Vinc. Ferr. f. 1. ser 6. post Cineres.

### §. II.

#### Divites sunt alieni à DEO, virtute &c.

**C**ain agricola. Gen. 4. 2. quia divites hujus Mundi terram, & carnem suam, colunt quasi DEUM. Hugo Card. hic.

*In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.* Pf. 118. 14. Id est, delectatus sum ambulare in via testimoniorum tuorum, sicut delectantur avari in omni copia divitarum. Magnus sanè affectus, & rarus, apud homines; cum e contrario soleant plerique pro tenui luro contemnere omnia mandata DEI. Bellarminus hic.

*Gloriam regni tui dicent.* Pf. 144. 11. Qui crescere student potentiam, & divitiis, & alios supergrediuntur; isti non magni, sed inflati sunt; non sunt succo pleni, sed vento distenti. Id. hic.

*Rogabat illum quidam de Phariseis, ut manducaret cum illo.* Luc. 7. 36. Hic adumbratur mundialium principum vanitas, quâ se fallunt; non ipsi ad DEUM relictis suis ire cupientes, sed DEUM ad se vocantes; ut DEUS eorum assideat mensis, eorum conformetur affectibus, & voluptatibus. Baeza t. 2. l. 6. c. 6. §. 1.

*Extollens vocem quaedam mulier.* Luc. 11. 27. Confusio magna est, quod sapientes, & divites, omnes taceant; & quaedam muliercula, cujus nulla ratio habebatur, ipsa sola pro honore DEI respondeat. Quando fidei nostrae volumus testes adhibere, quaerimus homines honoratos, & praecipuos, qui inventi possunt. At verò DEI Filius consulto videri gentem abiectionem quaerere, quâ pro ejus honore respondeat. Ingredientem in Jerusalem pueri, & plebs, laudaverunt; in cruce latro, & hodie mulier quaedam. De pastoribus Bethlehemiticis Lucas 2. 20. *reversi sunt pastores glorificantes, & laudantes DEUM*; quod de Regibus non meminit Matthaeus. Plicatores cum per

per Mundum laudaverunt. Voluit his significare Dominus: quam difficulter divites, & potentes hujus seculi possint disponi, ad hoc, ut honori DEI consulant, & pro eo respondeant. Diez. Conc. 1. Festo B. V. ad Nives.

*Scenopegia.* Jo. 7. 2. id est, festum Lunæ observant, qui gaudent de abundantia temporali, quæ significatur per Lunam. Hugo Card. hic.

S. Aug. l. 109. de temp. loquens de fumo: vides magnam molem? habes, quod videas; & non habes, quod teneas: solidior est fumus igni proximus, & terræ proximus; attenuatus evanescit, & disperit; quando se multum exulerit. q. d. ex inflammata ligni congerie prodit fumus; ut, nisi doceret experientia, ipsum brevi dilapsurum, cruciaret spectantes. Modò se attollit in sublimem turrim, mox se in arcem late patentem format, dein in nubem diffunditur; tandem putatur viam in cælum facere, & sedem inter astra ponere. Habes, quod videas in pompa Mundi. Vestes sunt augustæ, tituli illustres, saltationes frequentes, reditus copiosi, ampla jurisdictiono, comitatus nobilium frequens: an accedant virtutes, patiens audientia, largitiones &c. novit omniscius. Oliva t. 3. Conc. de Imm. Concept. Luna cum apparet nobis splendidior, & majori luce facta, tunc à sole remotior est, & ipsi ex adverso opposita; eâ parte obscurior, qua Empirium spectat. Contingit non rarò eos in Angelorum conspectu minus conspicuos, & magis obscuros; qui ad oculos nostros refulgunt majori lucis copia. Id. ib.

Homines si fiant magis divites, minus fiunt homines. S. Bonav. l. 74. in II.

## §. III.

*Divites discescunt alienâ inopiâ.*

*Quomodo tam citò invenire potuisti? voluntas DEI fuit.* Gen. 27. 20. Pete similiter à divitibus: Sub mentito divinæ voluntatis pallio fraudes, furta abscondunt. Vidisti personas inopes, & quas à veste lacera mendicas putâsse; post paucos annos fortunam ita mutâsse, ut aureorum millia comparârint; famulos, equos, rhedam, domum amplam. Petite unde tam citò divites? DEI gratiâ, dicent, industria attribgendum; ita DEUS jovit, ita voluit: sed fraudes sunt Jacob. Paoletti. D. 3. Adv.

*Bovæ matris devoraverunt pingues.* Gen. 41. 4. Nunc fit contrarium. Sylveira in Jo. 6.

*Videns Moyses populum, quod esset nudatus.* Ex. 32. 25. Non potuit non spoliari populus à ministris, cum inauguratus est vitulus: vituli gloria de paupertate cunctorum exstructa est. Naxera in Jos. 10. §. 37.

*Sol contra Gabaon nē movearis.* Jos. 10. 12. Abul. q. 22. quærit: an omnia sidera steterint? Responder: videtur dicendum, quòd non fuerit mora; sed stante cælo Solis, tota cælestis machina steterit, & etiam ipsum primum mobile. Quia sol candidior refulsit, quasi mi-

care nequeat sine Lunæ depressione, sine cælorum violentiâ, & stellarum injuriâ. Sic angusta Mundi gloria est, ut unius prosperitas de plurimum cudatur aruminis. Plurima sidera cadunt, ut Phœbus lucidior resurgat. Id. ib.

*Beatus dives, qui inventus est sine maculâ, & qui post aurum non abiit.* Eccli. 31.

8. Palcius: si aurum ad te jure venit, tu post illud non abis; sed si aurum injustè quæris, tu post illud abis. Si gratiosò donò, si hereditatis jure, si justâ arte, aurum comparo; aurum ad me venit: sim per fas, & nefas, illud conquiro; si propter illud res divinas violo, aut Ecclesiæ leges transgredior, post aurum vado; ac post illud totò affectu, & conatu, quasi mancipium, sequor, & feror. Sic Judæi dicebantur ire post DEOS alienos, cum, relicto Deo, illos colebant. Cornelius hic.

*Hæc omnia tibi dabo &c.* Matth. 4. 9. Auth. Imp. hom. 5. in Matth. uni dare non poterat omnia, nisi ab omnibus tolleret omnia. S. Chrysol. l. 122 ait epulonem artificiosè nuditate vesticum: cujus nuditate? multorum, quos nudavit, ut vestem sibi teneret.

*Epulabatur quoridie splendide.* Luc. 16. 19. Ipsi mensa multorum pauperum constabat sanguine; & ipsius pocula multorum, quos ad laqueum coegerat, rubebant cruore. Quanti necantur, ut vobis, quod delectat, paratur! funesta fames vestra, funesta luxuries. Ille de summis culminibus ruic, ut frumentis ampla vestris receptacula præpararet: ille de sublimi arboris cacumine decidit, dum genera uvarum explorat; quæ deferat, quibus digna convivio tuo vina fundantur. Ille mari merius; dum vetetur, nē piscis mensa tuæ deit, vel ostrea. Ille brumali frigore, dum lepores investigare, aut laqueis studet aves captare, dirigit. S. Ambr. l. de Nabuth c. 5.

*Erat publicanus, & ipse dives.* Luc. 19. 2. Victum publicani non aliunde, quam ex pauperum lacrymis habent. Theophylactus hic.

## §. IV.

*Divites impunè peccant.*

*Hæc dicit Dominus DEUS Israel: anathema in medio tui est, Jerusalem.* Jos. 7. 13. Et nihilominus Achan de Jericho Spoliis nonnulla clam furatus, non capit fugæ consilium, nec sortes antevertit. Quæ causa? quia nobilis, aliasque jam aurò dives, non timuit sortes, non expavit flammam; imò putavit, et si crimen cælesti iudicio reperiretur, poenam haud infligendam. Abul. q. 42. non putavit, poenam magnam esse infligendam, quamquam reperiretur furtum: ideo non recessit de castris. Divites, perverso sæculi more, nec infamiae, nec criminis, sunt obnoxii supplicis. Qui nummorum adeptus est patrocinium, impunè peccat; quasi pecunia sit scelerum baptismus, & reatum absolutio. Ridicula habetur divitis accusatio: nam frustra jure agitur, qui auri defenditur eloquentia. Naxera in Jos. 7. §. 29.

Judi-

*Judicare egeno, & pupillo; humilem, & pauperem justificare.* Pf. 81. 3. Justificatio supponit culpam, & delet præcedentem maculam. Dicit ergo, peccatorem justificare, aut pauperem eripite. Paupertati justificationem prudenter exoptat: quia scit, apud humanos Judices, & tribunalia, pauperem semper, uti peccatorem, damnari; cum dives absolvatur ut justus. Id. in Jos. 9. §. 20.

## §. V.

*Divites periculis obnoxij.*

Dives quidem nihil aliud mihi esse videtur, quam civitas absque muris in agro sita, & undique insidiantibus exposita. S. Chryl. hom. 13. in act.

Non aliter in divites Sathan inflit, quam canis quispiam panis buccellam, aut placentam, de manu parvuli abrepturus. Id. in ep. Rom. 3. serm. 7.

Quem non metuit dives? an non latrones? an non potentes? an non invidios? an non calumniatores? & quid calumniatores? aut latrones, dico? familiares suos suspectos habet. Id. hom. 35. in ep. 1. ad Corinth. c. 4. Videplura hic.

Quemadmodum passer, & à pueris, & à visco, capitur, & à laqueis, & ab aliis innumerabilibus; ita etiam qui est dives, & suorum, & hostium petitur insidiis; & in majore, quam ille, versatur periculo. Id. in Pf. 10.

Facile amittunt cœlestia, qui terrenis abundant. S. Laur. Justin. l. de cast. connub. cap. 4.

## §. VI.

*Divites sunt miseri.*

*Homo quidam erat dives.* Luc. 16. 19. Hunc, tanquam durum, & in pauperes inhumanum, Dominus anonymum, nominisque expertem, inducit: nempe ut exemplò id confirmet, quod per prophetam de iis aliquando pronuntiârat, qui DEUM non metuunt. Pf. 15. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*: pauperem verò propriò nomine designat; siquidem tales in DEI lingua, & ore, obversantur. S. Titus Boltr. hic.

*Erat quidam mendicus nomine Lazarus.* Luc. 16. 20. Ubi ergo nomen divitis? nusquam: quippe qui nomine careat. Quantæ divitiæ! arbor foliis vernans, sed fructu destituta: quercus in altum protensa, quæ glandem brutis animantibus in cibum suppeditat. S. Chryl. t. 6. tr. in terræ mot.

Leoni X. alchimiſta librum dedicaverat de arte aurum conficiendi. Cum speraret magnam honorarium, tandem Papa crumenam bene magnam homini dedit, inquiring: quoniam aurum tibi ipse conficere potes, dari *Polyant. Sacr. Tom. 1.*

tibi solum necesse est, quòd illud recondas. Sic DEUS cum iis agit, qui omnî studio aurum comparant: dat eis vacuum crumenam, ut impleant ipsi. Et quia in conatu suo sæpe deficiunt, bursa vacua manet. Jonghen p. 3. Exh. 4.

## §. VII.

*Divitum conditio in morte.*

*Dormierunt somnum suum, & nihil &c.* Pf. 75. 6. Dormierunt enim in cupiditatibus suis; delectat illos: transit somnus iste, transit vita ista; & nihil invenierunt in manibus suis, quia nihil posterant in manu Christi. Vis aliquid invenire in manibus tuis postea? noli contemnere modò manum pauperis; & respice manus inanes, si vis habere manus plenas. S. Aug. in Pf. 75.

*Omnia flumina intrant in mare.* Ecclæ 1. 7. Cum flumina sint aquarum dulcium, habent tamen fines amarus. Non potest quæri in mari, quisnam sit Tagus? aut Nilus? aut alius fluvius? Divites hujus sæculi sunt fluvii (*divitia si affluant*) nunc dulces fluunt, in morte omnia amareſcunt, & confunduntur. Diez fer. 6. D. 2. Quadr.

*Fili, recordare &c.* Luc. 16. 25. Dentes integros, & valentes, summâ curâ fovemus; putridos extrahi curamus, & abjicimus. E contra pedes sanos laboribus, ambulatione exercemus, in pulvere, & cæno; si deficiunt, eos fovemus. Sic divites, quasi dentes, omnibus in honore; putridi, perditis opibus, despiciuntur. Pauperes ut pedes, in sæculo abjecti, laboribus expositi; si infirmantur, à DEO cœlestibus recreantur auxiliis; & si moriuntur, beatorum gaudent confortiò. Stella hic.

Vos alloquor divites, ac locupletes. Respicite finem; à cupiditate desillite; quæ possidetis, non amate. Quanto amantior fueris, tantò plus eorum, quæ ad te nihil pertinent, nihilque profutura sunt, relinques. Volo, tecum feras omnia, nè alienis relinques. S. Basilius l. 2. in divit. avaros.

Nescit natura divites, quæ omnes pauperes generat. Neque enim cum vestimentis nascimur, nec cum auro, argentoque, generamur. Nudos fudit in lucem; egentes cibo, amictu; nudos recipit terra, quos edidit. S. Ambr. l. de Naboth c. 1.

Dives in morte similis mulo regio, divitias multas deportanti; ex quibus nihil illi tandem manet, nisi plura ulcera, quæ ex tanto onere contraxit. Oforius fer. 3. D. 2. Quadr.

Avis, quæ inviscatur, dicitur miserior; nec gaudet de visco; nec libera dolet, quòd non inviscatur: quia viscus est ad malum ejus; sic viscus divitiarum. Ecclæ 5. 12. *divitia conservate in malum Domini sui.* Et licet modò viscum, seu laqueum, non sentiant; sentient in morte, sicut avis volare incipient.

Ooo

Tuna

Tunc non ascendent, sed cadent. Prov. 11. 28.  
*qui confidit in divitiis, corruet.* Summa  
Prædic. Divitiæ.

## §. VIII.

*Divites honorantur, promoventur.*

**F**U<sup>1</sup> (Berzellai) *vir dives nimis.* 2. Reg. 19.  
32. Pagnin. & Sept. *vir magnus etas*  
*valde.*

*Eras ibi mulier magna.* 4. Reg. 4. 8.  
Magna, id est, dives, potens, ut explicat Lyr.  
Carthuf. Hugo.

*Confundantur omnes, qui adorant scul-*  
*ptilia.* Pf. 96. 7. Divites, quando habent divi-  
tias, honorantur ut imagines aurò circumdatæ.  
Hugo Card, hic.

*Venit quidam homo dives.* Matth. 27.  
57. Quia Joseph dives, & nobilis, fuit; fa-  
cile impetravit à Pilato, quod petiit: ideo Evan-  
gelistæ dicunt, quòd fuerit *dives*. & *nobilis*  
*à curto*; non ad saclantiam, quòd talem di-  
scipulum habuit JESUS; sed ad insinuandum,  
cur ei patuit ad Pilatum accessus; qui pauperis  
ingressum, & preces, sprevisset. Dion Carth.  
hic. Joseph ab Arimathæa dives dicitur: ut  
ostenderet causam, quare à Pilato potuerit impe-  
trare Corpus JESU; vel unde accessum ad eum  
habuerit. S. Paschasius.

## §. IX.

*Divites sit virtute, maximè mise-*  
*ricordiâ.*

**F**ilii Joseph in duas divisi tribus, Ma-  
nasse, & Ephraim. Jos. 14. 4. Cæteri  
filii Jacob quisque suam tribum dedit populo  
DEI; Joseph autem duas constituit. Cur hoc?  
Joseph solus è fratribus pauper fuit, & dives.  
Pauper, dum servus Ægyptus factus, & in-  
carceratus, omnibus bonis spoliatus, & ami-  
cis: dives fuit Prorex Ægypti. S. Hieron. ep.  
ad Salvinam: Joseph, qui in egestate, & in  
divitiis, dedit experimenta virtutum; qui &  
servus, & Dominus, docuit animæ libertatem;  
nonne post Pharaonem regis ornatus insignibus?  
Sic DEO charus fuit, ut super omnes Patriarchas  
duarum tribuum pater fieret. Bæza t. 2. l. 6.  
§. 3.

*Quid faciam?* Luc. 12. 17. Parata tibi  
responsio fuerat: esurientium animas implebo;  
aperiam horrea, & omnes vocabo pauperes;  
imitabor Joseph Gen. 41. 56. humanitatis lau-  
dibus vocem emittam magnificam: quicumque  
panibus egetis, venite ad horrea mea. Ne puta,  
omnia tuo ventri preparari, Quæ in manibus ha-  
bes, ut aliena existima &c. S. Basilus serm. in div.  
avaros.

DEO, gratitudinis ergo, aliquid tribue;  
quòd ex eorum es numero, qui de aliis bene  
mereri possunt; non qui aliorum beneficentiâ  
opus habent; quod non ex alienis manibus  
pendes, sed ex tuis aliis. Da operam, ut non  
solum opibus, sed etiam pietate; non solum  
aurò, sed etiam virtute, sis locuples. Cura,  
ut proximo tuo idcirco præstantior sis, quia  
benignior. Fac calamitoso sis DEUS,  
DEI misericordiam imitando: nihil enim  
tam divinum homo habet, quam de aliis  
bene mereri. S. Greg. Naz. or. 27. de paup.  
amore.

Eto dives in misericordia, si semper vis esse  
dives. S. Chrysol. l. 104.

Extiterunt in omni tempore, & in no-  
stra ætate non desunt, sicut & boni paupe-  
res, ita & boni divites. S. Prosper ep. ad De-  
metriadem.

Eleemosynarius est sicut nutrix, quæ  
lactat puerum. Nam sicut nutrices conue-  
verunt impinguari, ut abundant lacte, &  
bene nutriant pueros. Sic Dominus impin-  
guat divites bonis temporalibus, ut abun-  
dent lacte compassionis, & nutriant filios,  
id est, pauperes suos. S. Bonav. diæt. sal.  
cap. 16.

Pauperes utilitati divitum causâ facti sunt;  
ut, factâ inter utroque comparatione, facilius  
agnoscant divites Dei erga se beneficentiam. Isid.  
Clarius or. 10.

*Miscellanea.*

*Homo quidam erat dives.* Luc. 16. 1.  
Et quis erat homo iste? nisi CHRISTUS. Et  
quomodo dives non erat, cui ministrabant  
Angeli? Virtutes parebant? elementa ser-  
viebant? Et habebat villicum. Quem?  
nisi hominem: Cui ad colendum Mundum  
tota fuerat commissa possessio. S. Chrysol.  
l. 125.

*Divites* Luc. 16. 19. Dicitur, ait S. Bo-  
navent. non solum propter divitiarum posses-  
sionem, sed etiam propter nimium earum  
amorem.

Iste demum verè dives est, qui ditescere  
non cupit; qui pauper esse non vult.  
S. Chrylostomus Serm. 2. in Philippent.  
cap. 1.

Vis ditari? amicum habeas DEUM; &  
omnium ditissimus eris. Id hom. 2. ad pop.  
Antiöch.



# TITULUS XIV. DIVITIÆ.

§. I.

Symbola, &amp; Similitudines.

Ex Veteri, &amp; Novo.

**N**on facietis deos argenteos, nec deos aureos. Ex. 20. 23. Philo Hebr. l. 1. de Mon. figuratè docens, divinos honores non convenire divitiis: ferunt enim ultro citroque ventorum in morem. Mendoza in 1. Reg. 2.

*Adhæsit caput ejus quercui &c.* 2. Reg. 18. 9. Absolon peccator est; mulus sensualitas est. Absolon mulo infidet, cum peccator in sensualitate delectatur. Cæsaries Absolon divitiæ sunt hujus sæculi, quereus luxuria: quereus enim cibus est porcorum. Hæc est via, de qua dicit Dominus Matth. 7. 13. *Spatiosa est via, qua ducit ad perditionem.* Quereui igitur Absolon per cæsariem pendet, quando peccator fomentò divitiarum luxuriæ iuharet. Hugo Card. hic. Si Absolon sibi crines totondisset, ex his suspensus non fuisset. Multis causa mortis divitiæ, qui eas non relecant, dando pauperibus. Stella p. 1. c. 51.

*Stercora hirundinis,* Tob. 2. 11. quæ cadunt de nido, sunt divitiæ hujus Mundi: hæc stercora dormientem, & pigrum, excœcant. Hugo Card. hic. S. Antonius de Pad. ser. 4. hebd. 4. in Quadr. quærit: cur scriptura ponat, fuisse stercora calida? Resp. quia stercora, nisi sint calida, non excœcant. Divitiæ stercus pretiosum sunt: sic enim divitiæ appellare soleo. S. Greg. Naz. or. 17. Addit S. Anton. sic divitiæ nisi cum ardore diligantur, non offendunt. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Ps. 61. 11.

*Viri divitiarum.* Ps. 75. 6. dicuntur, qui ita divitiis adhærent, sicut uxori: quasi celebratum esset matrimonium inter eos, & divitiæ. Hi, cum post mortem evigilant, nihil inveniunt in manibus suis. Hugo Card. hic.

*Nè fortè implantur extranei viribus tuis.* Prov. 5. 10. id est, facultatibus, & opibus. Job 31. 24. *Si putavi aurum robur meum.* Prov. 10. 15. *Substantia divitiis, urbs fortitudinis ejus.* Cornelius hic.

*Non erigas oculos tuos ad opes, quia faciunt sibi pennas quasi aquila.* Prov. 23. 5. I. Aquila & robore, & volatu, & prædatione, cæteras aves antecellit; sic divitiæ. II. Aquilæ volant celerrimè; ac cum in terra pabulum ceperint, illicò in cœlum avolant. Sic & opes. III. pennæ aquilæ, mixtæ pennis anserum, aliarumq; avium, eas arefaciunt, & consumunt: sic & opes iniquè partæ reliquas etiam justè partas devorant. Cornelius hic.

*Dabu eis bibere vinum.* Jer. 35. 2. Dæmones aliquando exhibent se matres, dantes duo ubera sua, id est, divitiis, & honores: de primo *Polyanb. sacr. Tom. I.*

ubere fugitur lac voluptatis, de secundo lac vanitatis. Hugo Card. hic.

*Requiescit in sæcibus suis.* Jer. 48. 11. Lyr. fœces sunt divitiæ: quia, sicut vinum fœcibus, sic regna divitiis conservantur. Id. hic.

*Dixit Ephraim: dives effectus sum, inventi idolum mihi.* Os. 12. 8. idolum vocat suas opes. Chald. *inveni mihi pecuniam,* quæ, quasi tyrannus mihi vim inferi, & violenter opprimit. Id. hic.

*Væ ei, qui multiplicat non sua! usquequo, & aggravat contra se densum lutum.* Habac. 2. 6. Densum vocat: quia pertinaciùs adhæret, ægriùs eluitur, incidens difficiliùs emergit. Job. 41. 21. *sternes sibi (diabolus) aurum, quasi lutum.* Mendoza in 1. Reg. 3.

*Obsulerunt ei aurum, thus & myrrham.* Matth. 2. 11. Quàm inops etiam in suis gazis humana opulentiâ! aurum offerri sinè myrrhâ non valuit. Ad eò opibus amarities est concreta; quis enim sinè dolore divitiis cumulavit? Magos Mundus imitatur: qui primùm aurum exprimit, thus, myrrhæ conjunctione corrupturus. An non myrrham post aurum demessit sepultus igne epulo? Quæ autem conjunctio thuris cum auro? utrumque trahunt divitiæ secum, thus, & myrrham: vix enim aurum haberi potest, quin adoretur: avaritia enim servitus est, ait Paulus. Vides, non opum nos dominos esse; sed vel sacrificulos, vel victimas. Nec myrrhâ divitiæ carere solent, quas curæ innumeræ sepiunt. Oliva l. 12. Strom. hic.

*Relictis retibus.* Matth. 4. 20. Rete sunt divitiæ sæculares, S. Thom. in Festo S. Andreae.

§. II.

Quorum divitiæ magnæ?

**C**um David Salomoni pro templo reliquerit 1. Patal. 22. 14. *auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum,* sequitur eum reliquisse illi bis mille, & quadringentes milliones auri; millionem verò decies centena millia: quæ summa auri vix in tota Europa inveniretur. Quam David non tam suâ indultriâ, quam DEI benedictione, comparavit. Cornelius in Ex. 38.

*Coacervavi mihi argentum, & aurum.* Eccle. 2. 8. David pro fabrica templi reliquit ei mille millia talentorum. Salianus in annalibus, hæc Davidis talentorum auri, & argenti millia, censet confecisse 2672. milliones, ac insuper 125. millia nummorum aureorum. Budæus l. 4. de asse, putat has Davidis opes Salomoni relictas, fuisse decies majores, quam Darii ultimi regis Persarum, quas eò victò occupavit Alexander. Ex his patet, quàm immensæ fuerint opes Salomonis: DEUS enim in sinum ejus aurum, & argentum, undequaque congerere videbatur; & ipse suâ sapientiâ mille modos illud congeren-

Ooo 2

geren-

gerendi excogitabat. Villalpandus docet: majores fuisse, quam fuerint Imperatorum Assyri, Babylon Medor. Græcor. Romanorum. Cornelius in 2. Reg. c. 10. v. 15.

Basilus Imp. Græcorum, teste Zonarâ, in ærario suo habuit, computatione Lipsii 1200. milliones aureorum coronatorum. Julius Cæsar, teste Appianò, quatuor triumphis ærario intulit 40. milliones aureorum coronatorum. In singulis ludis, quos Augustus instituit, non minus duobus millionibus, & semi, insumptum. De his ludis quadraginta, & amplius, dedit.

Cyrus, teste Pliniò l. 33. c. 3. devictâ Asiâ auri pondò 34. mille, argenti 500. mille talentorum, id est, 594. milliones, præter vasa aurea, & argentea, infiniti pretii reportavit. Alexander superatò Dariò 213. milliones retulit & 840. millia ducatorum. Sardanapalus, cum sexies, & decies mille septingentis quinquaginta millionibus coronatorum in rogam se coniecit. Doultreman l. 1. c. 5. sect. 6.

Rex Peguanus in una arce tantum habuit thesaurorum, ut ad deferendum modò aurum & gemmas, vix sexcenti elephantés, totidemque equi suffecerint; taceo de argento, cæteròque metallo, tanquam de rebus nullius pretii. Ex epist. Nicolai Pimenta de statu rei Christi in India.

## §. III.

*Divitiæ fugaces, vana, infidæ.*

*Sicut dies mercenarij, dies ejus.* Job. 7. 1. Qui mercenarius est, alieno in fundo, aut agro, laborat: sic mortales omnes, qui periturarum rerum curis angimur, mercenarij sumus. Qui vel divitiis congerendis, vel acquirendis honoribus, & dignitatibus, operam dat, velit, nolit, mercenarius est: quia in alienis rebus labores collocat; quas paucos post dies aliis relinquet. Diez Vita humana.

*Transferunt omnia, tanquam umbra.* Sap. 5. 9. Canis portans per flumen frustum carnis, umbram illius capere voluit, perditâ verâ. Divitiæ faciunt tres deceptiones. I. Recipere apparentia pro existentibus, somnium pro veritate. II. Recipere imaginem pro re. III. Recipere umbram pro veritate. S. Vinc. Ferr. f. 3. D. 15. Trinit.

*Me dereliquerunt &c.* Jerem. 2. 13. Verè cisterna dissipata, honor: cisterna perforata, voluptas, divitiæ, & omnis prosperitas mundialis: *Consistere non valet aquam.* Triduo placet & statim evanescit omnis illa consolatio; & fastiditur, & displicet. S. Thom. Vill. D. 3. Quadr.

*Vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix.* Matth. 17. 3. Nix non est durabilis, modicò calore dissolvitur, ita ut nihil de ea amplius reperiat. Sic divitiæ. Jonghen Exhort. 23.

*Mitte Lazarum.* Luc. 16. 24. ait dives; quem millies præteristi; quem nè videre quidem voluisti; hunc tibi nunc ad salutem mitte

postulas. Ubi verò nunc pocillatores tui? ubi parasitæ? ubi superbia? ubi aurum? folia erant; ea corripuit hyems, & exsiccata sunt omnia. Somnium erant. Ut autem dies illuxit, abscessit somnium. Umbra erant; veritas venit, & umbra præterit. S. Chryl. t. 6. in terra motum.

*Divitiæ vestra putrefactæ sunt. & vestimenta vestra &c.* Jacobi 5. 2. Ecce, quanta est corruptio omnium, ex quibus sitis accenditur avarorum. Hinc 4. Reg. 5. 1. Naaman Syrus princeps militiæ, erat vir dives, sed leprosus. S. Bonav. f. 34. D. 2. Epiph.

*Ex Patribus.*

Nihil nobiscum ferre possumus, nisi vitam bene, atque innocenter, actam. Ille ad DEUM copiosus, ille opulentus adveniet, cui adstabunt continentia, misericordia, patientia, charitas, fides. Hæc est hæreditas nostra, quæ nec eripi cuiquam, nec transferri ad alterum, potest. Lactantius lib. 7. inlit.

Nemo est dives, qui, quod habet, secum hinc auferre non potest: quod enim hic relinquitur, non nostrum, sed alienum est. S. Amb. ep. 10. ad Simplicianum.

Hominum naturam divitiarum naturam imitatur. Quò tandem modò? Quid est homo? animal caducum, abjectum, exigui temporis. Tales sunt divitiæ; aut potius non sunt ejusmodi; sed multò instabiliore. Neque enim post hominem plerumque desinunt, sed etiam ante hominem. - Itaque non erabit, qui divitiis ingratum servum dixerit, sanguinis devoratorum, & parricidarum, quippe quæ Domino pro gratia cædem referant. S. Chryl. in Pl. 48.

Nihil tam infidum, quam divitiæ. Quod cum sæpe dixerim, dicere non quietam: quòd fugitivus est, & ingratus servus, fidem non habens; ut si innumera illi vincula injicias, sic quoque cum ipsis vinculis aufugit. Sæpius igitur pessulis, & foribus, ipsum possidentes concluderunt, servorum adhibitâ custodiâ; ille verò servis ipsis persuadens, cum ipsis fugit custodiis, tanquam catenam eos trahens; & nihil profuit custodia. S. Chryl. hom. 2. ad pop. Antioch.

Fugitivus servus, & perfidus, divitiæ sunt; & innumeris implicat malis. S. Chryl. hom. 11. in 1. Cor.

Opes aquarum instar fluvialium, & adfluunt, & effluunt; nunc ad hunc quidem, nunc ad illum, transeunt; ac possessorem facile fugiunt. S. Chryl. t. 6. or. de inlit. vita.

*Divitiæ si affluant, nolite cor opponere.* Psal. 61. 11. Tu autem affluentem retines, & exitus obstruis. Deinde sic coactæ, ac occlusæ, & quasi stagnantes, quid tibi faciunt? Putei continuo exhausti, & copiosiore, & pulchriore, admodum aqua fluunt; quieti verò facile patent. Sic & opes conditæ.

conditæ, quiescentes, inutiles; motæ autem, & translata, fructum pariunt, maximoque usui sunt. S. Basilii s. in divit. avar.

Tristis es, & rogatu difficilis; occursum pauperum vitas, nè forte aliquid è manibus coactè, exciet. Unam tantum nosti vocem: non habeo, non dabo; nam & pauper ego quoque sum.

Pauper es, profectò pauper, & omnium egenis bonorum. Pauper, inquam, charitate, humanitate, fide, æternâ spe. Id. ib.

Tales sunt impiorum divitiæ, tales malè seminantium menses; nimirum ut juxta veterem maledictionem, multa inspiciant, & pauca in horreum inferant; ac mensem non faciant; vineas plantent, & uvas non exprimant. S. Greg. Naz. or. 26. in plag. grand.

Infidæ sunt opes, sublimitumque thronorum, & dignitatum fallus, mera sunt insomnia. Sermones verè alati, gloria aer; nobilitas, vetus sanguis. Omnia humana metus, risus, lanugo, umbra, ros, flatus, volatus, vapor, insomnium. Idem Carm. de vitæ itinerib.

Potius ventis, aut literis in aqua descriptis, fidendum est, quàm divitijs. Id. or. ad cives Naz.

Fluxum, & inconstans, hujus lucis aurum est; & quasi sphaera lusoria ab alio statim ad alium transit. Sanct. Asterius hom. in fest. Kalendar.

Usum tantum earum rerum accepimus, quas tenemus: commodatis enim à Deo facultatibus utimur, & quasi precarij possessores sumus. Denique egredientes è Mundo isto, velimus, nolimus, hic cuncta relinquimus. Salvianus ad Eccl. Cathol. l. 1.

De cane sequente duos homines simul, in bivio, alterò dimissò, sequitur dominum suum; & tunc cognoscitur, cujus est canis. Ità modò homo, & Mundus, vadunt simul, & canis, scilicet divitiæ sequuntur; & ignoratur, cujus est. Sed quando in morte homo recedit à Mundo, divitiæ sequuntur Mundum. S. Vincent. Ferrer. serm. de S. Andrea.

## §. IV.

*Mors divitijs spoliat.*

**P**lumas projiciet in loco, in quo cineres effundiselenr. Levit. 1. 15. Volucris nudabatur pennæ inter cineres abjectis. Divitiæ pennæ sunt, quibus in hoc orbe volitamus: his nos mors spoliat, ut alij induantur: deplumatos verò in locum projicit cinerum, id est, in sepulchrum. Barradius t. 3. l. 3. c. 12.

*In imagine pertransit homo.* Pl. 38. 7. Mos est, in festis v. g. S. Catharinæ, ad ejus imaginem ornandam petere ab aliqua matrona pretiosam vestem; ab alia aliam; ab illa pretiosâ velamina; ab hac annulos, torques, monilia; quibus sic ornata imaginem cum celebri pompa in processione comitantur, eam honorant. Finita pompâ imaginem exuunt, vestes &c. reddunt; & tandem imaginem ipsam sic denudatam in angulo facelli reponunt; & vix aliquis est, qui ejus ultra recordetur. Hoc experiuntur ij, qui alios bonis privant ut ipsi divites fiant, & se or-

nant. Videbis eos ornatos, acsi essent templi imago. Et dum pompa celebratur, dum vivunt, omnes illum comitantur. Finita verò vitæ pompâ, exuto omnibus divitijs; corpus ejus in sepulchro collocatur, anima in Inferno. Diez conc. 2. D. 22. Pent.

*Nè zimueris, cum dives factus fuerit homo.* Pl. 48. 17. Hoc solatium pauperibus dici, communis est opinio. Sed S. Basilii hic putat, divites solari. q. d. decet quidem de aeterna salute vos timere; sed sperate tamen: nam licet opes aditum regni difficilem faciant, bonò tamen vestro in morte omnibus spoliabimini, & in numerum pauperum venietis. Hoc est enim, quod addit Propheta: *quoniam cum interieris, non sumes omnia.* v. 18. Pinna in Ecclesiasticum Ethol. 59.

*Et confringatur rota super cisternam.* Eccl. 12. 6. Per cisternam intelligitur congregatio opulentæ mundanæ: rota est volubilitas in possidendo. Tunc ergo rota confringitur super cisternam, quando omnis spes habendi aufertur. S. Bonav. hic.

Cui mors ob divitijs parit? à quo morbus ob pecuniam abstinet? opes ergo animarum laqueus, mortis hamus, peccati eica, belli materia. Sanct. Basilii s. 2. in div. avar.

Quousque inhiabis auro, quod animarum laqueus est, rete mortis, peccati eica? Ifid. Clarius l. 1. or. 38.

Mors est largissima elemosynaria: quia multa prius avarè collecta, & retenta, largè dare facit. Sicut i Machab. 1. 7. Alexander: cui vivo orbis non suffecerat, regna sua moriens dividebat. Summa Prædic. Mors.

## §. V.

*Divitiæ etiam dantur improbis.*

**C**ain Gen. 4. interpretatur possessio. *Abel nihil habens.* Hugo Card. hic.

*Ecce peccatores, & abundantes in sæculo, obtinuerunt divitijs.* Pl. 72. 12. Si divitiæ apud Deum commendabiles essent, justis, & timentibus Deum frequentius obvenirent. Nunc autem ecce peccatores, & abundantes in sæculo, obtinuerunt divitijs. Psal. 72. 12. Esau, quem Dominus reprobaverat, incedebat cum quadringentis viris; Jacob cum baculo suo transiente Jordanem. Blesensis ep. 17.

*Atrium - ejice foras.* Apoc. 11. 2. Alcazar per atrium foris, seu externum intelligit externa bona Fidelium, divitijs &c. Jubeat Deus Joanni talia à se amovere, & relinquere infidelibus, ac sibi rapientibus. Servos autem suos contentos esse vult templò, altari, bonis spiritualibus. Sylveira hic.

Justi, cum intuentur peccatores florere, facultatibus abundare, & temporalibus bonis pacificè frui; nequaquam Dei reprehendunt sapientiam; nèque felici eorum invident prosperitati: quin potius contemnunt, atque despiciunt illa, tanquam exigua bona transitoria, periculosa, atque vilissima; quæ profectò ut plurimum iniquis, quibus in regione vivorum nulla est portio, pro-

Ooo 3 suo

suorum tribuuntur mercede meritorum. S. Laur. Just. de inflit. c. 5.

Divitiæ non solum sunt iniquæ, quia ex iniquo acquiruntur; sed etiam quia iniquis hominibus ut plurimum advenire solent. Sanct. Bonav. f. 97.

Commendavit Christus animam suam Patri, Ecclesiam Petro, Matrem Joanni, pecuniam proditori. Communiter, Deus quos odit, hic bonis abundant. Diez festo Sanct. Matthiæ.

## §. VI.

*Divitiæ sunt inanes, inutiles, viles.*

**D**ives non addet ad medium sili. Ex. 30. 15. quia apud Deum non plures sunt divitiæ, quam paupertas; una anima Croesi, seu Iri. Cornelius hic.

*Quid prodest stulto habere divitiæ?* Prov. 17. 16. Significat Salomon, divitiæ, sine sapientia, esse inutiles, & vanas, imò noxias: eò quòd à sapiente per sapientiam in opera utilia pietatis sapienter debeant expendi. Aristoteles l. 2. Rhet. c. 16. divitiæ nihil aliud ferè sunt, quam felix amentia. Cornelius hic.

*Argentum eorum, & aurum eorum, non valebit liberare eos in die furoris Domini.* Ezech. 7. 19. Nolent hoc avari scelesti: à Dei ira, à morte, à gehenna, nec opes, nec nepotes, nec filij, nec uxores, nec cognati; quos iniquè ditare voluerunt, cum animæ suæ perditione; eos liberare valebunt. Cornelius hic.

Sedebat sub umbra viridis hederæ - & paravit Dominus Deus vermem. Jonæ 4. 6. 7. Hederæ, terrena bona. hederæ innixa alteri atollitur; sin minus, per humum serpit, arefcit. Ex tunc æstimantur divitiæ à justis, ut res arida; multiq; ab eis affectum abstrahunt. Diez conc. 2. festo S. Francisci.

Omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas mihi est. S. Aug. Medit. c. 18.

Quid prodest plena bonis arca, cum sit inanis conscientia. Sanct. August. l. 12. de Verb. Dom.

Tibi magna vis pecuniæ suppetit; quid hoc ad animum? pecunijs locupletior, pauperior animò: folijs coronatus es, & fructu eges. Sanct. Chryl. in Ps. 48. Nè timueris cum dives factus fuerit.

Quid prodest homini, si pecunias possideat, virtutem verò non possideat? villam, inquit fertilem habeo; quid est hoc? at animam fertilem non habes. Habeo mancipia; sed virtutem non habes: quod alterius est, habes; tua verò non habes. Id. t. 6. tr. in terræ motum.

Quæ sunt præsentia, sunt somniò nihil meliora. Sed, quemadmodum qui in somnis videntur sibi habere pecunias, licèt fuerint regie gazæ, cum dies illuxerit, sunt omnium paupertimi: ita tiam in vita præsentia, qui nihil illuc auferre poterit, est omnium paupertimus: in somniis enim est solum dives. Si velis mihi ergo ostendere divitem, tunc mihi ostende, quando fuerit dies,

quando in illam patriam recesserimus: nunc autem non potero discernere divitem, & pauperem. S. Chryl. in Ps. 43.

Ego terram calcare didici, non adorare: non est enim mihi fas unquam rebus inanimatis credere spes animæ. Clem. Alex. or. adh. ad Græcos.

## §. VII.

*Divitiæ sunt grave onus.*

**E**rat autem Abraham dives valde. Gen. 13. 2. Hebr. *gravis vehementer.* Iraelitis ex Ægypto liberatis divisi sunt fluctus. Cur Deus eos navibus non imposuit, sicut Noe? Cur non effecit, ut omnes, sicut postea Christus, & Petrus Matth. 14. 25. super aquas graderentur? quia spoliabant Ægyptum aurò, & argentò, & his onerati divitijs, & pressi fuerunt. Stengelius t. 3. Judic. div. c. 8.

Statua illa, cui caput aureum, pectus argenteum; non habebat alatos pedes; plantas, tibiasq; ferreas, habebat. Sanè ubi cor, caputq; auro immersum est, non leves pedes expecta ad currendam viam mandatorum. *Omnia sulcisti sub pedibus ejus.* Ps. 8. 8. celum super caput. Primi Christiani afferebant pretia coram, quæ vendebant, ad pedes Apostolorum. Act. 4. 34. 35. Ad pedes, ait Sanct. Hieronym. ut ostenderent, pecunias esse calcandas. Nadasi de Ang. Custod.

*Concluserunt piscium multitudinem copiosam; rumpebatur autem retr.* Luc. 5. 5. Mihi cumulus iste suspectus est, nè plenitudine sui naves penè mergantur. Ecce alia sollicitudo Petri, cui jam sua præda suspecta est. S. Ambr. l. 4. hic.

Apud Barbaros quosdam, quia vernaculum est aurum, & copiosum, aurò vinclos in ergastulis habent, & divitijs malè onerant; tantò locupletiores, quantò nocentiores. Tertull. de habitu muliebri. Croesus à Cyro aureis compeditibus vincclus. Ammicenus l. 71. de Sapore Persarum rege, captum ait regem ipsum Arsacem, adhibitumque in convivium, effossis oculis, vincclus catenis argenteis, exterminavit ad castellum quoddam. Aureis etiam compeditibus apud Æthyopes vinclos reos Herod. refert.

Si illi, qui in mari navigant, saviente tempestate, merces negligunt, & propriis manibus onera in mare projiciunt, & fortunis vitam anteponunt; & nè navis pondere oppressa submergatur eam sublevant, & pretiosissima quæque in profundum jaciunt: cur non etiam nos, propter vitam præstantiorem, ea despiciamus, quæ animum in profundum detrahunt? cur idem non potest Dei timor, quæ potest timor maris? S. Nilus libro ascetico.

Gravis pecuniarum sarcina est, quæ tenacium sui mentes avaritiæ pondere ad terram deprimit; nec emergere ad superna, cœlumque suspicere, ubi vita nostra est, omninò permittit. S. Gaudentius tr. de Villico iniq.

Divitiarum amissio nihil aliud est, quam gravis oneris depositio. Hugo Card. in Job. cap. I.

## §. VIII.

*Divitiæ sunt spinæ, pungunt.*

**P**revaricatores quasi spinæ. 2. Reg. 23. 4. Omnis peccator spinæ comparatur: quia sicut spinæ tangentem se manum lacerat; sic peccator corrigentem se, dente detractionis mordet. Maxime autem avarus spinæ comparatur: quia divitiæ habent punctiones gravissimas. Hugo Card. hic.

*Conversus sum in arumna mea dum confisus sum spinæ.* Pl. 31. 4. Divitiæ, quæ dicuntur spinæ à Domino, quanto magis cordi inferuntur per amorem, tanto magis pungunt per dolorem. Pungunt quippe, cum acquiruntur per laborem; cum habentur, pungunt per timorem; cum perduntur, pungunt per dolorem. Hugo Card. hic.

Merito divitiæ comparantur spinis: tum, quia fructum non afferunt; tum, quia fructum impediunt; tum, quia habentem affligunt. S. Bonav. in Luc. c. 8.

Quemadmodum spinæ steriles sunt. Ità & divitiæ. Quemadmodum illæ eos, qui tangunt, lacerant; ità harum cupiditas. Quemadmodum facile igni comprehenduntur & odio habentur agricolis; ità hujus sæculi negotia. Postremo, ut inter spinas feræ, viperæ, scorpis delitescunt; ità in fraudibus divitiarum. S. Chryl. hom. 23. in Joan.

## §. IX.

*In divitiis labor, timor, dolor.**Ex Veteri, & Novo.*

**C**ongregationesq. aquarum appellavit maria. Gen. 1. 10. Divitiæ dicuntur mare: quia plenæ sunt amaritudine. Hugo Card. hic.

Jacob transgrediens Jordanem in baculo suo sine metu, regrediens cum duabus turmis fratrem timet. Gen. 32. 10. S. Chryl. hom. 1. in illud, salutata: pauper nummis parum valens, & curis his omnibus carens, leo est. Ignem spirat; generosus, ac fortis, animo adversus omnes insurgit; facile omnia agit, quæ prodesse possunt Ecclesiis. Quot divites erant tempore Herodis? quot potentes? & quis in medium prorupit? quis tyrannum increpavit? quis contemptas Dei leges ultus est? Divitum nullus. Qui neque lectum, neque lectum, neque mensam, habebat; ille solus, ac primus, omni libertate tyrannum arguit; & præsentibus omnibus, ac audientibus, nuntiata sententiâ eum damnavit: *non licet tibi habere eam.*

*O mors! quam amara est memoria tua,* Eccl. 4. 1. Si sic est amara sola memoria, quid erit experientia? Cum dolor ex amore causetur, necesse est, ut in morte tantò major sit dolor, quanto ad hæc temporalia major est amor. S. Bonav. l. 33.

*Obsulerunt ei munera.* Vide hoc titulo §. I.

*Vae vobis divitibus!* Luc. 6. 24. Est divitibus triplex vae in præsentibus: vae laboris in acquirendo; vae timoris in custodiendo; vae doloris in deserendo. Et propter hoc fortè dicitur Apoc. 8. 13. *vae! vae! vae! habitantibus in terra.* Et hoc triplex vae perpetuabitur in Inferno: quia erit tibi labor sine requie, timor sine spe, dolor sine consolatione. Hugo Card. hic. Non pertinet ad omnes; sed ad eos tantum, qui totum animi desiderium ad pecunias contulerunt. S. Titus Boftr. hic.

*Quid faciam?* Luc. 12. 17. Quis non misericordiâ erga hunc corripetur? ad eò se ipso profligatum, anxium in tanta copia, miserum in tot bonis. Non enim proventus ei terra ferebat; sed fletus, & suspiria: non fructuum copiam; sed curas, & dolores, & graves anxietates. Divitiæ alios ad lætitiâ invitare solent; hunc verò avarum in mœstitiâ adducunt. S. Basilius l. in div. avar. *Quid faciam?* ubi recondam? iisdem cruciatibus, per sollicitudinem facultatum, quibus pauper per egestatem, torquetur. S. Ambr. l. 82 de hom. divite. Spectandas putabam in divite messe cantilenas, verba lætitiæ, & jubili. At non hæc, sed quæ anxietates, & molestas curas, sonabant: *quid faciam?* Bæza l. 5. c. 1. S. Zeno serm. de dupl. tent. genere: *Quid faciam?* inquit, quis non talem miseretur? quis non infelicitatem ejus doleat? angustiat ex abundantia, constringitur ex opulentia: infelix in præsentibus bonis, infelicior in futuris. Et, ut video, ager ei non tam reditus largiores, quam gemitus attulit graviores.

*Exceptit illum gaudens.* Luc. 19. 6. Matthæum, & Zachæum, ambos publicanos, Salvatorem domi gaudentes excepisse Lucas refert. Quam exultationem nè in domo quidem Marthæ innocentis floruisse refert. Quid hic mysterii? fortè insolens est ad eò diviti exultatio, ut velut miraculum habitum fuerit, potuisse illos, excepto domi Christi, gaudere. Orlval. 13. Strom. hic.

*Ex Patribus, & aliis.*

Fugitivus servus, & perfidus, divitiæ sunt; & innumeris implicat malis. S. Chryl. hom. 11. in 1. Cor.

Divitiæ sunt vinculum grave ijs, qui illis uti nesciunt; tyrannus crudelis, & inhumanus. Id. hom. 13. ib.

Videre licet, pauperes non facile insanabilibus morbis capi; sed eos passim in divitum corporibus provenire. Certò padagræ, gravedines, dissolutiones nervorum, aut contractiones, delicatos illos magis infestant; eos, qui unguenta olent; non eos, qui laborant, & exercentur, & quotidianâ operâ victum sibi comparant. Sanct. Chrylost. t. 6. hom. 5. quid sit festum.

Non

Non liberum animum, cunctis rebus terrenis liberatum, contristat, angitque migrationis hora: sed mors contristat multa possidentem; qui curis, & negotijs secularibus, suam deviaxit animam. S. Ephrem l. 3. de compunct.

Quietissimam vitam agerent homines in terris, si duo hæc verba à natura omnium rerum tollerent: *meum, & tuum*. S. Martinus Bracar. Maximæ de morib.

Quæ est maxima egestas? avaritia. Pecuniæ imperare oportet, non servire. Id. ib.

*Mare tempestate turbatum.* Lem: *Magnum aquor, magni fluctum.* Carolus Bovius.

## §. X.

*Divitiæ turbant somnum.*

**D**ulcis est somnus operanti; sive parum, sive multum comedat: *saturitas autem divitis non finit eum dormire.* Ecclæ. 5. 11. Famulus securam vitam ducens, quocumque demum victu alatur, dulci somno reficitur. At, qui pecunijs servit, herum habet importunum, qui dormire eum non finit: curam scilicet augendi lucri anxietatibus plenam. Mystice: qui Deo famulantur, æquò animò feruntur, atque lætantur de temporarij hujus Sæculi vita in æternam transferri; quam vitæ præsentis tralationem pulchrè vocavit somnum. Avaros autem non somnus excipit, sed horribilis mors; quæ non finit eos quiescere, sed æterno tradit supplicio. Olympiodorus hic.

Satiato divitijs, non est, qui finat eum dormire. Excitat eum cupiditas, exagitat cura pervigil aliena rapiendi; torquet invidia, mora vexat, sterilitas proventuum infœcunda perturbat, sollicitat abundantia. Sanct. Ambrosius l. de Naboth. c. 6.

Sigismundus Imp. 40000 ducatorum ex Ungaria acceperat: sollicitudo de iis nocturnam ei quietem omnino ademerat. Igitur postero die advocatis aulae proceribus: ecce, inquit, carnifices meos, qui me nocte dormire non sinunt: accipite, & dividite inter vos; nunc quietus dormiam. Æneas Sylvius l. 4. Commentar.

## §. XI.

*Divitiæ sunt origo peccatorum; impedimentum virtutis, probitatis &c.*

## Num. I.

*Symbola, & Similitudines.*

**A**Fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum. Jos. 13. 3. Unde turbidus? Tostatus q. 4. cum creverit, implet terram; & totum alveum pulvere, & lutò commaculat.

*Ecce dij tui Israel.* 3. Reg. 12. 28. Jeroboam, nè populus ascenderet adoraturus Deum in templo, fecit duos vitulos aureos, quos populo præbuit adorandos, dicens: hi sunt dij tui Israel &c. Jeroboam interpretatur *divisso populi*. Significat diabolum; duo idola, cupiditas, &

avaritia. Ant. de Rampelosis fig. Bibl. avaritia.

Naaman, 4. Reg. 5. 1. est peccator; lepra, peccati immunditia, quæ potentiam, & opulentiam, consuevit commitari. Unde hic dicitur, quòd Naaman erat *vir fortis & dives*. Hugo Card. hic.

*Multiplicata sunt super capillos capitis mei.* Pl. 39. 13. Peccator comparatur capillis: quia sicut capilli ex superfluitate nascuntur, sic peccata ex abundantia temporalium. Idem hic.

*Qui refrigerit picem &c.* Eccl. 13. 1. Pix dicitur moneta: quia multas nigredines dimittit in anima tractantium pecuniam. 1. In cogitatione, 2. in temporis perditione, 3. in negotiorum occupatione. Sanct. Vinc. Ferr. de S. Matth.

*Quod autem in spinas cecidit.* Luc. 8. 14. Assimilantur spinæ divitijs: quia, sicut spinæ latibulum omnium reptilium, & venenosorum, animalium sunt; ita divitiæ vitorum sunt receptaculum. Michæ 6. 12. *divites ejus repleti sunt iniquitate.* Ne aliena invadas, Deus tuas divitijs sepovit spinis. Sunt tamen non pauci pueris similes, qui per medias spinas, cruentatis manibus, & pedibus, temporalia lætantur. Stella hic.

Luna, nisi plena sit, eclypsim non patitur: sic divitijs repletus magis solet obcurari, & obcæcari. Luna eadem plena à sole est remotior: sic divites à sole justitiæ. Stella p. 1. c. 48.

## Num. II.

*Testimonia, & exempla.**Ex Veteri.*

*Sicut paradisus Domini.* Gen. 13. 10. & v. 13. *porro pessimi erant.* En malorum causam, scilicet temporalium abundantiam. Pinna in Eccl. Ethol. 150.

*Levo manum meam - à filo subregnis &c.* Gen. 14. 22. 23. Cur Abraham opes rejicit? *Levo manum meam* q. d. difficulter quis animum ad Deum levare, & pius esse, potest; nisi contempserit divitijs.

*Ceperunt civitatem.* Jos. 6. 20. Pugnavit & cælum in urbem, subactis mœnibus, non vi arietum, sed fragore tubarum. Et tamen, quò laborarit flagitio urbs, Josue tacet. Verum abundasse sceleribus Jericho, inde conjiciendum relinquit; quòd exportatum ex ea auri plurimum v. 24. Neque enim fax criminum, limetque scelerum, deesse potest; ubi opum profluens aureas mediocritatis ripas transgressus est. Oliva fer. 5. D. 2. Quadr.

*Rex Salomon adamavit mulieres.* 3. Reg. 11. 1. Post Plutum Venus: nam, cum auri, argentique copiam, inundasse Jerosolymis priore capite referatur; mox patuisse ait regis thalamum exteris mulieribus. Taata est luxurie, libidinisque, conjunctio; ut, si abundes, vix floreas. Oliva l. Strom. hic.

*Si dives fueris, non eris immunitus à delicto.* 11. 10. Ideo docuit Christus post panem veniam precari. Oliva l. 9. Strom. §. Vitis frondosa Ol. 10.

*Beatus dives, qui inventus est sine macula.* Eccl. 31. 8. Si quem compedibus, cætenis que vincitum tam celeriter, quam alium liberum currere videres; nonne miraculum clares? hoc utique facit dives, virtute præditus: sunt enim divitiarum compedes. Diez. conc. 2. in festo OO. SS.

*Vitis frondosa Israel, fructus adequatus est ei: secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria; juxta ubertatem terræ suæ exuberabit simulacris.* Ol. 10. 1. Damanda fertilitas, quæ religio sterilescit. Quot pampini, tot scelera! quot vites, tot idola! malo esurire, quam perire.

September apud Hebræos *Ethanim* dicitur; id est, *mensis asperitatum*. Aliqui ita vocatum putant, quod tunc, transactò æstu, & imbres, & fulmina, ruant. Ego verò, puto; quod ubi abundantia, & vindemia, exundant; scelera, & calamitates, non desint. Oliva l. 9. Strom. hic.

### Ex Novo.

*Panem nostrum & dimitte nobis.* Matth. 6. 12. Quare, post petitionem panis de venia peccatorum agitur? In pane intelliguntur omnia temporalia ad vitam necessaria. Obtentis his, homo ad peccatum adeo est proclivis, ut mox ei necesse sit veniam peccatorum petere. Sylveira hic. q. 16. S. Thom. in Catena ex Chryl. post subsidium cibi, petitur & venia delicti. Consequens erat, ut observatà Dei liberalitate (*panem nostrum*) etiam clementiam ejus precaremur. Tertull. hic cap. 4. Quare erat consequens? quia vel parcus cibus solet occasionem delicti ministrare. Escob. t. §. proph. Chr. l. §. Obl. 6.

*Abiit, qui quinque talenta acceperat.* Matth. 25. 16. & filius prodigus acceptà portione substantiæ, etiam abiit. *profectus est in regionem longinquam.* Luc. 15. 13. nec enim Deum agnoscit dives. Quare principes, cum sedent in folio, interjectam habent folij partem, inter cælum, & caput; quasi nihil illis cum cælo sit. Octavianus in Ecclesiast. hic.

*Exi à me, quia homo peccator sum Domine.* Luc. 5. 8. Sic ait dives in captura piscium. Indicius peccantis est, terrenis abundare. Non Deo adhæret, cujus cor inharere cœpit facturæ. Unde Job. 21. 14. felices illi clamabant: *recede à nobis, scientiam viarum tuarum volumus.* Oliva l. 13. Strom. hic.

*Da mihi portionem substantiæ.* Luc. 15. 12. Beati filij, quorum tota est in patris charitate substantia! Beati, quibus manet tota in obsequio patris in patris cultura possessio? Cæterum facultates unitatem scindunt, fraternitatem separant, cognationem spargunt; parentum perdunt, & violant, charitatem. S. Leo Chrysol. l. 1.

*Polyantb. Sacr. Tom. I.*

*Homo quidam erat dives.* Luc. 16. 19. Divitiæ non solum possidenti, sed etiam dispensatori, facta sunt causa peccati: ut raro, & difficulter factum sit, possidere divitias, quin inducant in animarum pericula contrectatores. Sim. Cass. l. 6. c. 13.

### Ex Patribus, & aliis.

Ecclesia, postquam ad Christianos principes venit; potentiâ quidem, & divitiis, major; sed virtutibus minor, facta est. S. Hieron. in vita Malchi captivi Monachi.

Quò plus opibus, ac cupiditate, crescis; eò magis charitate deficiis. Nam diu jam pecuniam abjicere cogitasses, si proximos æquè, ac teipsum amasses. Nunc ea tibi magis insita, conjunctaque, quam corporis membra, videtur. S. Basilius l. 2. in div. avar.

Quædam societas, pene etiam hominis, duabus his rebus, vitij, & divitijs, Eucherius de contempt. Mundi. Qui divitijs, simul vitij, quò, que incubant. Sidonius l. 8. ep. 7.

Divitiæ simul, & paupertatem, tanquam materiam quandam, vel vestimenta, à rerum opifice nobis proposita, & oblata, dicimus: homines verò, ceu fabros quosdam, per hæc, aut virtutis simulacrum effingere, aut malitiæ statuam exculpere. Cæterum per divitiæ vix aliquis paucula quædam virtutis membra eleganter exculpet; multi verò paupertate aduti omnia simul fabricare possunt. B. Theodoret. l. 6. de provid. Dei.

Divitiæ accumulare citra peccatum impossibile: nisi alicui, sicut Job, quod valde rarum, simul & discescere, & justitiam colere, contigerit. Sanct. Asterius hom. de div. & avaro.

Nunquam tentationibus carebit, qui terrena dilexerit: sunt quippe opes arma diaboli, tentationum fomentum, exterminium quietis, & perfectioni inimica. S. Laur. Just. l. de casto connub. c. 6.

Divitiæ sunt maculosæ: maculant intellectum, quò cogitare deberet de suo Creatore, animâ, æternitate; sed, qui servit pecunijs, orans cogitat de negotijs &c. Maculant voluntatem, & auferunt desiderium paradisi. Memoriam non sinunt cogitare de mysterijs, beneficijs Dei, &c.

### §. XII.

#### Divitiæ inducunt oblivionem Dei.

**M**emento mei, cum benetibi fuerit. Gen. 40. 14. Vox Christi est ad quemlibet. Nihil enim ita oblivionem Domini facit, sicut opulentiâ. Hugo Card. hic.

*Ephraim, & Manasses.* Gen. 48. §. dicuntur Germani fuisse fratres. *Ephraim* quidem *frugifer*, seu *crescens*, interpretatur; per quem crescens in divitijs significari potest. *Manasse* autem interpretatur *oblivio*: ut merito indicetur; quod divitiarum Mundialium incrementum, & Dei oblivio, insimul societur. S.

Ppp

Berth.

Bernardinus f. 50. Act. 2. Avaritia facit hominem obliviosum propriae salutis. Et in signum hujus, Manasses, & Ephraim fuerunt fratres. Manasses interpretatur oblivio; Ephraim fructificans, vel crescens; & figurat avarum, qui est crescens Ephraim in divitijs. S. Bonav. diat. fal. c. 6. de avaritia.

*Cumq; introduxerit te Dominus Deus tuus in terram; cave, ne obliviscaris Domini Dei tui.* Deut. 6. 13.

*Joas occidit Zachariam.* 2. Paral. 24. 22. id est, abundantia temporalis Domini memoriam. *Joas enim interpretatur temporalis; Zacharias memor Domini.* Hugo Card. in Luc. 10.

*Adimpleri sunt, & saturari sunt, & levaverunt cor suum, & oblivi sunt mei.* Ol. 13. 6.

## §. XIII.

*Divites agrè admittunt penitentiam.*

*Ex Veteri, & Novo.*

**C**Ain occidit Abel. Gen. 4. 8. id est, possessio; Abel luctus interpretatur. Hugo Card. in Luc. 11.

Quod Esau, nec sanctimoniam patris, & matris; nec fratris; revocaretur à scelere, factum est, *vestibus valle bonis* utebatur; & consequenda ab Isaac hereditati inhiabat. Hæc retinacula, nè à flagitio surgeret. Gen. 27. 15. Oliva fer. 4. c. in §.

*Fugiamus Israël.* Exod. 14. 25. Ægyptij Israëlitas insequi noluere: nam illi jam spoliati fuerant ab Hebræis: ideoque Numen poterant revereri. Pharaon autem spe spolijs ait: *persequar, & comprehendam; dividam spolia, implebitur anima mea.* Ex. 15. 9. Nonne sat erat arcam implevisse? cur animam auro infodis? ibique mammonam recludis, unde Deum cogaris excludere. Id. ib.

Elifæus Naamum principem septies in Jordane mergi voluit nè salutatam quidem. 4. Reg. 5. 10. Puerum verò milellæ convenit. 4. Reg. 4. 32. fovit, osculatus est, suoque spiritu in os ejus immisso revocavit ad vitam. Crimen licet iniquissimum, citò curatur in pannofo, difficillimè, licet leve, in cocco. Oliva l. 11. Strom. §. Traxit rete in terram. Joann. 21.

## §. XIV.

*Divitiæ agrè ad cœlum, facillè ad orbem deducunt.*

**N**Abuzardan princeps exercitus. 4. Reg. 25. 12. Servus regis Babylonis, cum populum Dei victum, captivum abduxisset in Babylonem, præcipuè divites abduxit: *De pauperibus terræ reliquit vitatores, & agricolas.* Sic hominum hostis pauperibus, quos Christus, & sua paupertas, defendit, relictis, divites invadit, vinculis innumeris ligat, & in Ba-

bylonicum acheruntem trahit. Stengelius t. 3. div. Judic. c. 8.

*Fallax equus ad salutem.* Psalm. 32. 17. Equus dicuntur divitiæ, quæ sunt fallaces ad salutem: quia multos decipiunt, & defraudant à salute; ferunt hominem ad peccata. Equus velox; sic temporalia citò transeunt. Hugo Card. hic.

*Dives difficillè intrabit in regnum cœlorum.* Matth. 19. 23. Et tam multi adhuc sunt, qui divitijs adherent. Sententia hæc Christi adeò Apostolos percudit, ut dicerent: quis ergo poterit salvus esse? Respondet Christus: apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt. q. d. omnipotentia Dei ad hoc exigitur, ut dives salvus fiat: est enim miraculum ingens, divitijs ornatum cœlum ascendere. Stengelius t. 3. div. judic. c. 8.

Licet diabolus non esset; licet nullus, qui impugnet, appareat; innumera tamen viae sunt, divitiarum amatores ad gehennam ducunt. S. Chryf. hom. 7. in Acta.

Divitiæ adeò suspectæ sunt Christiano, ut credam, notanter à Luca Zachaum & publicanorum principem, & divitem, fuisse propositum: nè viderentur divites ab angusta cœli porta prorsus arceri. Baeza t. 2. l. 6. cap. 8. §. 3.

Pluto, & Plutus, affines: hic divitijs, ille Infernum, signat: magna enim divitijs, & inferis, inter se societas. Stengelius t. 3. jud. div. cap. 8.

## §. XV.

*Divitiæ sunt origo superbia.*

**A**ssumpsit eum diabolus in montem excelsum. Matth. 4. 8. Supra montem tentatio fuit de avaritia: quia pecunia superbiere facit. Hugo Card. hic.

Sicut ex abundantia cibo adeps; ita ex abundantia rerum superbia, nascitur; quæ impingat mentem divitis, dum elevatur animus superbientis. Superbia quippe cordis, quasi quædam pinguedo est crassitudinis. Unde, quia plerique ex abundantia peccata perpetrant, per Prophetam dicitur: *Pl. 72. 7. prodit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Sanct. Greg. mor. l. 15. c. 33.

Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum, habet vermem suum: alius est vermis mali, alius fabæ, alius urtici: vermis divitiarum superbia. S. August. l. 5. de V. D.

Rarò cum divitijs hujus sæculi vera humilitas possidetur: inflat enim opulentia Mundi. Sim. Cassi. l. 9. cap. 16.

## §. 16.

## §. XVI.

## Divitiæ sunt origo discordiarum.

**U**nae facta est rixa. Gen. 13. 7. S. Chryf. hom. 37. Aucta sunt armenta, multiplicati reges, affluxerunt divitiæ multæ; & statim difcenditur concordia. Antea erat pax, & charitati vinculum; nunc rixa, & contentio: ubi enim meum, & tuum, illic omne litium genus. Hinc de primis Christianis Act. 4. 32. *multitudo nis credentium erat cor unum.* Causa subditur: *erant illis omnia communia.* Cornelius hic.

*Ne irascamini in via.* Gen. 45. 24. Cur hoc dixit iis, in quibus vidit tantam concordiam, ut omnes pro Benjamin liberando se obtulerint in captivitatem? *Omnes servi sumus Domini mei.* Gen. 44. 16. Quæ ergo suspicio iræ? Dederat eis plaustra, & cibaria in itinere. &c. Gen. 45. 21. Scivit pecuniam esse matrem discordiarum. Stengelius t. 3. div. judic. cap. 5.

*Nolite possidere aurum, neq. argentum.* Matth. 10. 9. S. Ambr. l. de Joseph c. 13 ob id misit Discipulos, suos sine sacculò, sine virgâ, sine pecuniâ; ut & instrumenta discordiarum, & incentiva eriperet ultionis. Pardani monetis duos gallos inter se pugnantem insculpsere: significantes, omnium discordiarum radicem, pecuniam esse. Alex. ab Alex. l. 4. c. 15.

*Da mihi portionem substantiæ* Luc 16 Vide superius hoc titulo §. 11. Num. 2. Ex Novo.

## §. XVII.

## Divitiæ quomodo tractandæ, &amp; impendendæ?

## Num. I.

## Superflua sunt pauperum.

**Q**uod superest, date elemosynam. Luc. 11. 41. Græcè, *quod superest, inextensia.* id est, ut explicat Theophylactus, ea, quæ insunt cordi vestro; id est, quibus affixum est cor vestrum, scilicet opes. Cornelius hic.

*Colligite fragmenta;* Jo. 6. 12. Docet locus, colligenda fragmenta, id est, quæ superfunt, ut pauperibus donentur. Heu! quot pereunt fragmenta, quot pecuniæ hominum; qui opes suas in canes, equos, bombycinas vestes, lautos cibos, ludos, feminarumque turpissimum obsequium, impendunt; pauperes nudos minime curant. Libet, quamvis cum impio Juda, exclamare: *ut quid perditio hac?* Potuerunt opes vestræ venundari Christo magno pretio, & dari pauperibus. Barradius hic. Volebat assuescere turbas, ut nihil superflui retineant; sed id omne alienæ fami sponte cedant. Lex hæc creatis rebus omnibus à Creatore imposta. Cum cælum aridam, & sitientem terram, pluvijs recreat; absorbet, & bibit illa, quantum ad restaurandas humidi radicalis vires sufficit; quidquid abundat, aliò derivat, & a-

Polyanthe. Sac. Tom. I.

lienæ utilitati transmittit. Cum vitis, vel alia planta, sac humoris attraxit, reliquum vicini palmi, & sitienti ramo, facillè indulget. Quid mirum ergo? Si Christus populum, quem ad satietatem, & delicias usque, pavit, eadem lege teneri voluit. Paulus Segneri s. 21. die Ven. D. 3. Quadr.

Cætera, quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria. Superflua divitum, necessaria pauperum. Res alienæ possidentur, cum superflua possidentur. Sanct. Augult. in Psalm 147.

Incaustum se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi privatum vindicant. Qui, cum accepta non tribuunt, in proximorum nece grassantur: quia tot quotidie pene perimunt, quot morientium pauperum apud se subsidia abscondunt. Nam cum quælibet necessaria indigentibus ministramus; sua illis reddimus, non nostra largimur. S. Gregor. l. pastor. curæ c. 22 p. 3.

Quæcumque Deus, exceptò mediocri, & rationabili, victu, & vestitu; sive de quacunque militia, sive de agricultura, contulerit; non tibi specialiter dedit, sed per te pauperibus eroganda transmisit. Si nolueris dare; noveris, teres alienas auferre. S. Cæsarius Arelat. hom. 14. de Verb. Apost.

Cur dives es, ille pauper? profectò non ob aliam causam, nisi ut tu benignitatis, ac fidelis administratoris, præmium recipias; ille verò patientiæ maximè mercede honoretur. Sanct. Basilius serm. in divit. avar.

Efuriens est panis, quem retines; nudi est vestis, quam in arca custodis; discalceati calceus, qui apud te marcescit: egentis argentum, quod tu in terram fodis. Denique tot adfers injuriam hominibus, quot deseris, cum juvare possis. Id. ib.

Clamant nudi, clamant famelici; conqueruntur, & dicunt: dicite Pontifices; non quidem in sancto, sed freno, quid facit aurum? nostrum est, quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis: vita nostra credit vobis in superfluas copias. Nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris. S. Bern. ep. 42. Vide plura hic ante medium.

Multa per totam vitam temerè disperduntur, quæ, vel sola, pauperum indigentia succurrere potuissent. Clarius l. 2. orat. 10.

## Num. II.

## Divitiarum administrator es, non Dominus.

*Veniat Dilectus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* Cant. 5. 1. Erudimini, qui possidetis terram. Divitiæ, quas tenetis, vestræ non sunt, sed Dei opum dispensatores estis, non domini. Porro cum sponsam in cellaria induxit; non ad rapinam, & luxum; sed ad elemosynam, invitavit, Cant. 2. 4. *ordinavit in me charitatem.*

Ppp 2

tatem.

*tatem.* Oliva t. 2. Strom. §. Introduxit me rex.

*Redde rationem villicationis tuae.* Luc. 16. 2. Hoc discimus, quod non sumus domini divitiarum: nihil enim habemus proprium; sed dispensatores alienarum rerum sumus, quæ à Domino nobis concredita sunt, ut illas bene dispensemus, sicut ipse imperat. Theophylactus hic. Qui hæc temporalia bona sic expendunt, quod non quærant in eis meritum salutis, sed solatium carnis; temporalia non dispensant ad modum boni villici, sed dissipant ad modum filij prodigi. Tunc autem hic villicus apud Dominum diffamatur, quando clamor pauperum ascendit ad Dominum. Sanct. Bonav. hic.

Soli Deo hæc vox competit *meum.* Philo Jud. alleg. sacr. leg. l. 2.

Num. III.

*Divitijs bene utere.*

*Melius est bonum nomen quam divitiæ multa.* Prov. 22. 1. Si ergo & tu gloriam ex divitijs quæris; cognosce, quia melius est, mille filiorum, quos per misericordiam filios acquisieris, patrem vocari, quam mille aurcorum Dominum dici. Et considera, quanta tibi tum erit gloria; cum te omnis ille populus, qui ex promptuarijs tuis passus est, & refectus, pro tribunali magni illius, & iustissimi Judicis, cætervâ conspiciante circumdabit, postorem te suum, ac tutorem pium, & misericordiam patrem, omni gratiarum voce testabitur. Sanct. Ambr. l. 82.

*Sicut lilium inter spinas.* Cant. 2. 2. Potest hoc etiam intelligi de spinis, quæ Mundo rosæ apparent. Hinc Abraham, Isaac, Jacob, Job, David, & alii, utriusque sexus, divitijs utentes, lilia fuere inter spinas. Non tam ipsæ divitiæ spinæ sunt, quam earum concupiscentia. de Ponte hic.

*Nemo potest duobus dominis servire.* Matth. 6. 24. Non dixit Dominus, qui habet divitias, sed qui servit: qui enim divitiarum servus est, divitias custodit ut servus; qui autem servitutis excussit jugum, distribuit eas ut dominus. S. Hieron. Job dives erat, non tamen pecuniæ serviebat, sed habebat divitias, eisque, ut congruit, imperabat: nec erat famulus earum, sed dominus. S. Chryl. hom. 22. in Matth. Dicitur ille servire mammonæ, in cuius affectu divitiæ dominantur. Avaritia est *idolorum servus.* Ephes. 5. 5. Unde Glossa non ait, habere divitias, sed servire. S. Bonav. hic.

*Qui autem saminatus est in spinis.* Matth. 13. 22. Comparat hic Dominus divitias spinis. Quia si manus extensæ sunt, & aperta, supra se spinas habere possunt, quin eis officiant: si autem manus coarctantur, statim spinæ pungunt. Sic etiam potest Christianus habere divitias, quin animam lædant; si habet manus in pauperes apertas. Si avaritia coarctat, certè lædent. Diez. Dom. Sexag.

Divitiæ sunt serpenti similes: quem si quis nescit inoffensè eminus accipere, bestiam sine periculò summâ caudâ appendens, ea manu circumplicabitur, & mordebit. Pulchrè callent serpentum inslar repentes divitiæ, dum à perito, vel imperito, apprehenduntur, inharere, & mordere. Clem. Alex. l. 3. paedag. c. 6.

Non solum spirituales opes, & dona cœlestia, Deo donante, capiuntur; sed etiam terrenæ, & corporeæ facultates, ex ipsius largitate proveniunt: ut meritò rationem earum quaeratur sit; qui non magis possidenda tradidit, quam dispensanda commisit. Muneribus igitur Dei iustè, & sapienter, utendum est, ne materia boni operis fiat causa peccati. S. Leo l. 5. de collectis.

Divitiæ, potestates, & cætera in hunc modum, quædam subsidia sunt; quibus juvatur ad bonum virtutis, tanquam calamis, & atramentò, ad artem scribendi, Hildebertus ep. 32.

Scorpio, dum nos ferit, venenatus est; at in oleum liquatus, præstans est; & ad proprium morsum, & aculeum, antidotum, & remedium. S. Franc. Salef. in Philoth. p. 1. cap. 19.

§. XVIII.

*Divitijs non apponendum cor; modèratè ama.*

*Multiplicata sunt aqua, & elevarunt arcem in sublime à terra.* Gen. 7. 17. Hæc, in tanta aquarum illuvie, ne unam quidem guttam intrâ se admisit. Oliva t. 2. conc. 33.

Frequentissimè olim Deus in Scriptura Sabbathi observationem imperavit. Ex. 20. 9. 10. Levit. 23. 3. Deut. 5. 13. 14. imò violatoribus capitale supplicium statuit. Ex. 31. 14. Num. 15. 35. Cur in hac lege tam severus Franc. Mendoza in 1. Reg. 5. quia adeò propensi erant ad divitias congregandas, ut in hoc labore totam vitam collocarent. Unde, nisi inde violenter avellerentur, semper terrenis studijs incumberent, nunquam divinis obsequiis vacarent. Quare severissimis legibus opus fuit, quæ illos à temporalium rerum negotio ad cœlestium otium transferrent.

*Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Pl. 61. 11. Abundent licet, & sequatur te prosperitas sæculi; tu mari noli credere licet ridenti. *Divitiæ si affluant, si abundant; calca eas, & suspendere ex Deo tuo.* Sanct. Aug. hic. *Nolite cor apponere.* Id est, manus apponere permitto, usum; sed corde amplecti, suspicere, affectu totò in eas ferri, planè dissuadeo. Pinna in Eccl. Ethol. 119.

Concha in mari, licet aquis undique mersa, tamen ne guttam intrâ claustra admittit. Agit quidem in pelago; sed, cum spirare liberius cupit, aut concipere foetum; enatat, & sub pri.

primam lucem, versus cælum expandens se, purissimum aeris excipit rorem; & cò opulenta, se rursus recludit, & in aquas immergitur. Abstinentia illa ab oceanis undis, & pascuis, largè rependitur margaritarum formatione. Plin. l. 9. c. 37. Cœli eis major Societas, quàm maris: inde nubilum trahit colorem, aut pro claritate matutina serenum. Idem contingit veris DEI servis, quos reliquit DEUS inter Sæculi procellas, in eorum exemplar inter prospera Sæculi. Non desunt Ecclesiæ conchæ, quos tituli, divitiæ, circumdant undique; sed in mentem non penetrant, semper intentam ad cœlestes affectus excipiendos; ut effingant in se margaritas pretiosas cogitationum Apostolicarum. Oliva t. 3. conc. 33.

Jonam balæna absorpsit. c. 2. 1. sed nè unum quidem digiti unguem violavit. Cur ergo non possit Christianus sic possidere opes, mente in iis non fixâ, ut pilcis non delibans corpus Jonæ. Oliva t. 3. conc. 34.

Multum interest, inter habere venenum, & venenum sumpsisse. Pharmacopœe ut plurimum venena in officinis habent; ut illa in tempore, & variis in eventibus adhibeant: at non propterea intoxicati sunt. Pari modò habere divitiis potes, non tamen ab iis intoxicatus esse. Id fiet, si eas domi, & in crumena tua, habeas, non autem in corde. S. Salefius in Philoth. p. 3. cap. 14.

## §. XIX.

*Motiva**Divitas spernendi.*

Num. I.

*Exemplum Christi.*

**S**edebat Jonas sub umbra viridis hederæ - & **paravit DEUS vermem.** Jon. c. 4. 6. 7. Hedera, terrena bona. Hedera innixa arbori attollitur; sin minus, per humum serpit. Divitiæ, si pauperi, hospitali, carceri, adherent, ad cælum ascendunt; si pietati non hærent, humi serpunt. Sub hujus hederæ umbra sedet homo gaudens, at vermis ascendit, & abrofit. Pl. 21. 7. *ego sum vermis.* Rosit, cum dixit: *beati pauperes* Matth. 5. 3. Ex tunc estimantur divitiæ à justis, ut res arida; multique ab eis affectum abstrahunt, & ardentissimò spiritu relinquunt. Dicit conc. 2 festo OO. SS.

Magna abusio, & magna nimis: ut dives velit esse vermiculus vilis, propter quem DEUS majestatis, & Dominus Sabaoth, voluit pauper fieri. S. Bern. l. 3. in Resurr. Dom.

Vide tit. Paupertas Christi,

Num. II.

*Exempla aliorum.*

*Agnum irado tibi. & speluncam, quæ in eo est. Quæso, ut audias me: dabo pecuniam pro agro, suscipe eam; & sic sepeliam mortuum meum in eo.* Gen. 23. 11. Abraham, ut sepulchrum sibi compareret, pecuniam reddidit: nam, nisi pecuniæ amorem vicisset, sepulchrum, quietis patriam, curarum

exilium, non possidebit. S. Hier. ep. ad Gerunfilias: quid est sepulchrum? locus quietis, ubi juxta Mundi rationem defunctorum corpora collocantur. Verà ergo intelligentià locum sibi requietionis pater Abraham fide suâ, & pecuniæ contemptu, comparavit. Naxera in Jol. 7. §. 51.

*Erui mihi Dominus in DEum.* Gen. 28. 21. Jacob panem petit; non carnem, non perdes, ut docet Nyssenus l. de orat. Querere jubemur id, quod satis est ad naturam corporis conservandam; non luxum, non delicias, non ornamenta aurea, non lapidum fulgores &c. Cornelius hic.

*Vir suus reliquerat divitias multas.* Judith 8. 7. Tamen matrona heroica angustam sibi ædium partem elegit; & ex tottelis pretiosis durum cilicium sumpsit. *In superioribus domus sua.* v. 5. 6. Et licet ad Holofernem occidendum aureas telas induerit, seque gemmis ornarit, post victoriam tamen primam vestem sumpsit, & ex spoliis ditissimis, quæ triumphans illi populus concessit, nihil sibi habuit, sed DEO cuncta obtulit. c. 16. 23. Oliva t. 3. Conc. 34.

*Et fuit possessio ejus septem millia ovium.* Job. 1. 3. Quis ex paritibus nunc non se pauperem diceret, si eas haberet opes, quibus inter orientales Job maximus celebratur. Ubi Job aurum, gemmæ, tabulæ, aulæ &c. adeo etiam opulentissimi id temporis principes horrebant speciem omnem, apparatusque luxuriæ: ea tantum sectati, quæ natura funderet, & præberet mortalibus. Quin Jobo Asinæ quingentæ; equus nullus, biga nulla. Quæ habuit Job, ea DEUS recenseri voluit, quasi aut non necessaria principi, aut justò non digna. Oliva l. 6. Strom. §. Vir erat in terra Hus.

In actis Apost. 4. 34. 35. quando Domini nostri adhuc calebat cruor, & fervebat recens in Credentibus fides; vendebant omnes possessiones suas, & pretia earum ad Apostolorum pedes deferebant: ut ostenderent, pecunias esse calcandas. S. Hieron. ep. 8. ad Demetriadem.

Num. III.

*Alia Motiva**Ex Veteri, & Novo.*

*Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis iradam.* Jos. 1. 3. Quasi solum illa possideant, quæ calcaverint; & habendi sit ars, contemptus. Naxera hic. §. 38.

*Verumtamen quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longè sit à me.* Job. 21. 16. Bona in manu habet, qui despiciendo temporalia sub dominio mentis premit. Nam quisquis ea nimè diligit, se magis illis, quàm sibi ipsa supponit. Multi enim justorum in hoc Mundo divites fuerunt, rebus, & honoribus, fulti: habere multa videbantur; quorum mentem, quia eorum, quæ aderant, delectatio nimia non possidebat: bona illorum in manu erant, quia potestate animi subiecta tenebantur. At contra iniqui ita se totis desiderii in

Ppp 3

exteri-

exteriorum rerum appetitionibus fundant, ut non magis ipsi habita teneant; sed ab his, quae habeant, captiva mente teneantur. S. Greg. mor. l. 15. cap. 28.

*Qui post aurum non abiit.* Eccl. 31. 8. Noli amare aurum. Si malus es, is post aurum: si bonus es, it post te. Quid est, it post te? tu ducis, non duceris; quia possides, non possideris. S. Aug. l. 115. de divers.

*Relictis omnibus.* Luc. 5. 11. Licet non omnes teneantur relinquere omnia, quantum ad effectum; nisi perfecti, qui voto paupertatis sunt adstricti; tamen omnes tenentur relinquere omnia, quantum ad affectum: ne eorum amore superati cor suum circa defluentes divitias apponant; & perverso ordine creaturam supra DEUM diligant. S. Bonav. l. 4. D. 4. Pent.

*Thesaurum non deficientem in caelis.* Luc. 12. 33. Magna multorum infania; qui, cum duorum, vel trium, dierum spatium, in hac vita sunt mansuri, thesaurizant in patria, ubi hospites, & peregrini sunt: nec congregare curant divitias in caelum, cujus perpetui incolae esse debent. Si viatorem videres, qui, cum unius horae in hospitio sit moraturus, parietes dealbet, omnia cubilia sternat, castra renovet; quid de eo judicares? Cur hic thesaurizas, ubi non habes manentem civitatem? Stella hic.

#### Ex Patribus.

Quam magnum contemnere divitias; sed quam rarum hoc ipsum est. Unique & Moyses potuit esse regis successor, nutritus à regis filia. Potuit ergo esse non solum quasi Pharaon, sed etiam & Pharaon potuit esse. Uterque enim homo; sed omnis potentia hominis in affectu est. Moyses noluit rex esse, cum posset; sed opprobrium Christi thesauris Aegypti arbitratus est esse preferendum: sed fugiendo potentiam, potentior factus est: factus est enim in DEUM regi Pharaoni. Rex erat Pharaon; sed DEUS non erat. Moyses factus est illi DEUS; hoc est, regi ipsi terribilis, quem rex metueret, & timeret. Sed haec erat potentia sanctitatis. - Et tu si vis tanquam DEUS peccatoribus esse terrori, regibus reverentiae, ut tanquam DEO videantur tibi esse subiecti, quia operaris in DEI nomine; contemne, quae saeculi sunt, & Dominicae Passionis opprobrium contende omnibus preferre divitiis. S. Ambr. in Pl. 118. Oclon. 8.

Quantò melius est, salutem habere sine pecunia, quam pecuniam sine salute! sed haec vix in Sanctis Domini reperiuntur, ut divitiarum contemptui sint. Id. Offic. l. 2. c. 25.

Divitiae saeculares si defunt; non per mala opera quarantur in Mundo: Si autem ad sint, per bona opera servantur in caelo. S. Aug. ep. 205.

Beatus, qui post illa non abiit, quae possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. An non ea satius cum honore spernis, quae cum dolore perdis, an non ea prudentius Christi cedis amori, quam morti? S. Bern. in epistolis.

Divitiarum contemptus, perfectionis est via, caeli scala, receptaculum pacis, Christi imitatio,

spirituale gaudium, - pretiosa margarita. S. Laur. Just. l. de reg. Prael. c. 8.

Fortitudinis est, divitias & omnia vana relinquere. Unde dicitur de Juda 2. Mach. 12. *vir fortissimus Judas duodecim millia drachmas &c.* Fortissimus fuit, dum argentum contempnit, & pro mortuis illud obrulit. S. Bonav. l. 5. de uno Martyre.

Fuit opinio Philosophorum, quòd divitiae artificiales, ut pecunia, faciant divitem. Sed falsa: quia, juxta regulam Philosophiae, ab extrinseco non fit vera denominatio v. g. Familicus, habens coram se mensam opulentam, non dicitur faciat. Divitiae in bursa non satiant: quia non intrant cor, ubi est fames. Nec divitiae naturales ut vinum, oleum, &c. quia per regulam Philosophiae, nulla res naturalis simul in eodem inducit effectus contrarios: quia nulla res simul frige facit, & calefacit. Divitiae autem naturales, sunt causa indigentiae. Si enim habes agrum, oportet habere animalia ad arandum, stabulum, paleas, jugum, messorum, horrea, molendinum, furnum. Ecce quot indigentiae! S. Vinc. Ferr. l. de S. Andrea.

#### §. XX.

*Divitiae male partae noxiae, steriles.*

Num. I.

*Symbole, & Similitudines.*

*Alia quoque septem consecrata macie.* Gen. 41. 3. Vidit septem spicas vacuas, rubigine informes, glutientes primas, & adhuc macie consecratae remanent; sic & septem vaccae. Pinguefcuntne, qui alios deglubunt? mendicij fiunt. Nemo ex alieno felix, & pinguis est. Alvarez hic.

*Manna scaterere cepit vermicibus.* Ex. 16. 20. atq. computruis. Balduinus: hoc exemplo de manna damnatur malum avaritiae, quae pecunia male parta possessori suo in vermem vertitur.

*Suarvis est panis mendacii.* Prov. 20. 17. Panis mendacii significat opes, mendaciorum, id est, usuram, fraude, & injustitiam partas. *Pestem implebitur os ejus calculo.* Tigurina: *Scrupulis.* Sicut enim panis scrupulis, & lapillis, mixtus, aspicienti pulcher, sed masticandi molestus est; ita opes fraude partae in initio suaves videntur, at in fine exitiosae deprehenduntur: cum conscientiam, quae est animae os, mille scrupulis, angoribus, onere restituendi &c. lancinant. Cornelius hic.

*Laxate retia vestra in capturam.* Luc. 5. 4. *Vestra,* inquit: hinc rapax insitor, cum tota nocte defudet, inanius semper est. Unde tantae calamitatis origo? non sua laxavit retia, sed aliena: non enim tua est, sed viduae lacrymantis; suspirantis mercenarii pecunia est, quam mutuam exponis in capturam. Redde aliis sua, & tuum impende censum in foenus; & aurea tibi messis erit. Oliva l. 13. Strom. hic.

*Seminare semen suum - fructum fecit centuplum.* Luc. 8. 5. 8. Vel unum granum cadens in terram bonam, centuplum fructum reddit.

reddidit: quia agricola non ex alieno, sed proprio, tritico seminavit. Propria enim divitiarum fructificant; quae acquiruntur ex raptu, minuuntur. Escob. t. 6. par. Chr. l. 3. obs. 4.

Membris infirmi, corruptis humoribus aggravati, siccibunda sanguinis apposita sanguisuga sibi gratulabatur, quod ad fontem aptatum venisset. Cum igitur arida biberet, malis male cupida plena facta est. Cum autem virus ebulliret, coepit, cum ingenti clamore, disrumpens singultire. Mox accurrit formica granum trahens, quae dixit: quid est, quod accidit tibi? cui illa: amatum potavi alimentum, & exhausti venenum: cupidam enim decepit me propinator avarus, qui, retinens sibi commodum, in perniciem dedit virus. Tunc formica: bene video, quod stulti ea, quae sibi sunt noxia, cupiunt. Gaudeo igitur, quod nullius sanguinem fugo; sed res meas providentiâ curo, diligentiam quaero, justitiam congreo, sapientiam servo. Quod dicto sanguisuga sumul cum vita cruorem raptum evomit. S. Cyrillus l. 3. apol. mor. c. 16.

Num. II.

#### Exempla

#### Ex Veteri, & Novo.

*Nunc igitur maledictus eris super terram, cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.* Gen. 4. 11, 12. Vide, ut oppressione innocentis ararum hebetatum, &c. Oliva l. 1. Strom. §. Exultate filiae Sion.

Illicitis artibus ditare suos voluit Achan Jol. 7. 25. dum, contra DEI vetitum, aurum, inter spolia Jericho sublegit: unde & ipse, & familia tota, flammis absumpta est. Segneri f. 13. die Merc. D. 2.

Iniquis modis ditare suos voluit Achab, 1. Reg. 15. 9. dum vineam Naboth injuste rapuit, propterea violenta morte perierit, stirpe ejus tota excisa quindecim annorum spatium. Id. ib.

Abfalon, quia manus rapinis dabat, non potuit infame evadere supplicium. 2. Reg. 18. v. 9. 18. Ubi nota: ubi arbore suspensus obiit, mox addit textus: *Porrò crexerat Abfalon titulum & appellatur manus Abfalon.* v. 18. Quae connexio inter suspensum, & hunc titulum? quia crucis supplicium, tunc latronibus debitum, notabat textus in arbore, causam quoque supplicii affixit. Manus rapinis deditae caedis causam notabant. Baeza t. 3. lib. 14. cap. 16. §. 15.

Præsumpsit Giezi 4. Reg. 5. qui figmentis, & mendaciis, à Naaman pretiosa munera, ab Elizeo repudiata, extorsit; sed mox ipse, cum tota progenie, lepra percussus est. Segneri cit. Sic 4. Reg. 10. 17. percussi sunt omnes de domo Achab.

*Projectis argenteis in templo, recessit; & abiens laqueo se suspendit.* Matth. 27. 5. Vide, quantum tormentum sit in muneribus, & pecunia injusta; ut omnes eam repellant. Imitentur hoc in bonum, bonorum alienorum defraudatores injusti. Judas projecit tanquam rem detestabilem; neque dignam, ex qua vel

restem emat, quò vitam abrumpat. Sacerdotes repellunt à sacrario, *non licet mittere in corbonam*; neque audent inferre in locum, ex quo extraxerunt; veriti, nè reliquam pecuniam contaminaret: nam male parta seipsa perdunt, & reliquam pecuniam, iusto labore comparatam, absumunt; ut de aquilarum plumis experientia ipsa docet, exurere aliarum avium plumas, si eis adhæserunt. Pinna in Eccl. 13. Ethol. 251. Nummi abjiciuntur, penitus è manibus elabuntur: solum peccatum ab iis ortum manet aeternâ plecendum poena. Baeza t. 2. l. 11. cap. 7. §. 5.

*Convocatis singulis debitoribus domini sui.* Luc. 16. 5. Miraris, villicum, cui cuncta bona domini divitis commissa fuerant administranda, post tam diuturnam ruinam ita evanuisse, ex injusti possessoris manibus; ut, vocatis debitoribus domini sui, nullum suum vocarit debitorem; nec, unde posset vitam transigere, post villicationem ablatam, inveniret. Ego quidem non miror; si recolo; eum ex injustitia bona illa acquisisse. Nam, quae rapinâ, aut injuriâ, possidentur, illico è possessorum manibus elabuntur. Escobar t. 6. parab. Chr. lib. 4. Obs. 1.

Num. III.

#### Exempla ex Historicis.

Quidam apud Lugdunenses vix multo labore trientem unum acquirerat; quem cum multiplicare vellet, de eo vinum comparat; admixtisque aquis iterum per argenteos venundans duplicat pecuniam. Hoc iterum, atque iterum agit, donec centum solidos lucraretur. Post alterius negotiationis nundinas adit; extractoque triente colloqui cum socio coepit: erat autem sacculus ex pelle. Et ecce subito adveniens milvus rapit eam, & decerpere tentat, putans à colore partem carnis esse; sed cum nihil pinguedinis sentiret in eo, volans super fluvium, è quo ille aquam hauserat, laxatum sacculum dejecit in flumen. Quò conspecto ille tristis exclamat: *Vae mihi! sicut feci, sic recepi*; qui è fluvio eos habui, ad fluvium rediisse video. Gregor. Turon. de glor. Confess. c. 109.

Mercator per fraudem nummorum multum collegerat; navi in mari vectus dum eos numerat, aurò plenum ad caput positum sacculum simius arripit, summumque conscendens malum, aurum in mare abjicit. Male parta male dilabuntur. Berengarius lib. similit.

Cum S. Eduardus Angliarum Rex intrasset ararium suum, vidit diabolum sedentem super denarios. Interrogatum quid ageret, & dicentem, custodio pecuniam meam, adjuravit per SSS. Trinitatem, indicaret, cur suam diceret? respondit: quia injuste acquisita est de substantia pauperum (fuerat id factum infido rege) iussit reddi. Bollandus 5. Januarii.

Vidua pauper mutuum ab usurario pecuniam acceperat, sed magnò suo malò: nam ille non tantum usuram, sed duplum pecuniae mutuae poscebat. Confugit vidua ad S. Juventium Episcopum, singularem pauperum, viduarum, pupillarum, patronum. Is Diaconum suum Exuperan-

uperantiam cum vidua misit ad Creditorem cum hoc mandato: admone eum vice meâ, qui hanc viduam oppressit, dic ei: Pater tuus rogat, sufficiat tibi, quod tuum est; nec exigas, quod non dedisti; nè id, quod habere videris, amittas. Si autem te audire noluerit, ecce do tibi summam pretii; porrige ei, & revertere. Paruit Diaconus in omnibus; sed non molliit iniquum hominem: cum damno suo fœnus accepit; & eodem momentò, quò aurum ab Episcopo missum contigit, humi collapsus miserimè expiravit. Stengelius l. 3. divin. Judic. c. 13. Surius 14. Septemb. Vide plura apud Stengelium citatum.

Num. IV.

Sententia

**Ex Veteri, & Novo.**

*Divitias, quas devoravit, evomet.* Job 20. 15. quin si id sponte non fecerint, de ventre illorum extrahet eas Dominus. Quòd si alienum aliquid retinere præsumperit, DEum domus suæ inimicum habebunt. Segneri l. 13. f. 4. D. 2. Quadr.

*Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere (scilicet justè, & licitè) quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in caelum.* Prov. 23. 5.

*Qui ædificat domum suam impendit alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme.* Eccl. 21. 9. q. d. qui ædificat domum non suò, sed alienò, sumptu, putà injustè, per vim, fraudem, aliamve injustitiam, ab aliis raptò; hic similis est homini &c. Complutenses habent: *colligit lapides in tumulum sepulturae suae.* q. d. non domum, sed sepulchrum, sibi ædificat. Sic etiam vertit Tigur. & Syrus. Cornelius hic.

*Vae qui prædaris!* Il. 33. 1. Dicit in morte daemon avaro: tu fuisti avis de rapina, modò raperis tu. S. Vinc. Ferr. f. de assumpt. V.

*Perdix fovit, quæ non peperit; fecit divitias, & non in judicio.* Jer. 17. 11. Tradunt Aristot. Theoph. Plinius: perdicem alterius perdicis ova furari, iis incubare, excludere pullos: qui cum adoleverint, & vocem excludentis audierint, ab ea, quasi alienâ, avolant ad primam, & veram matrem; cujus vocem naturæ instinctu agnoscunt. Tales, ait Jeremias, sunt Sedecias, & Judæi, alique divites; qui non in judicio, id est, non justè, sed injustè, divitias congregant, aliena rapiunt; & faciunt sibi divitias, quas brevi Babylonii diripient. Cornelius hic.

*Pro eo, quòd diripiebatis pauperem, & prædam electam tollibatis ab eo - quid inde habent? domos quadrò lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis. Vineas plantabitis &c.* Amos 5. 11.

*Vae ei, qui multiplicat non sua! usquequo & aggravat contra se densum lutum.* Habac. 2. 9. Nota: non ait, contra alios, sed contra se: ut enim alteri beneficiat, amore crudeli perdit seipsum.

*Vae qui congregas avaritiam malam domui suæ! cogitasti confusorem domus tuæ.* Habac. 2. 9.

*Vae vobis, qui comeditis domos viduarum.* Matth. 23. 14. Injusta bonorum alienorum defraudatio ruinam etiam temporalem parit. Meritò Christus viduarum spoliatoribus, præter primum vae, amplius minatur judicium; quasi velit illos, non solum in futuro, sed & in præfenti, poenas dare. Bæza t. 3. l. 14. c. 16. §. 15.

Num. V.

**Ex Patribus, & Salis.**

Quò quisque infirmior; eò prædæ patet. Sunt, qui invicem se devorent, & suâ carne pascantur. Minor apud ipsos, elca majoris est. - Vide, nè idem te, qui piscem illum, finis maneat. S. Ambr. l. 5. hexam. cap. 5. de piscib.

Vetus est proverbium: abdita vulpium, sunt rapinæ luporum. Gerson D. 2. Palch.

Basilii Imp. parænet. ad filium c. 27. ignis non ita celeriter paleam consumit, ut male. & injustè congestæ opes, etiam jure partas, in perniciem secum abripiunt.

Si bene valens pinguior ex Orbis fias, pinguedo illa vires addit, si verò ex morbo tumescas, artem quæris medicam. Sic qui, vel a parentibus justas divitias accepit, vel honestis modis lucratus est; iis fidere potest: si autem contra fas corripit, periculose avaritiâ laborat, mortique proximus est. Pinna in Eccl. Ethol. 1. 19.

§. XXI.

**Divitiæ verae.**

**V**enit quidam homo dives. Joseph. Matth. 27. 57. Fuit ille Discipulus Christi, qui paupertatem tantoperè amabat, & prædicabat: *beati pauperes spiritu.* Quomodo ergo Joseph dives simul, & Discipulus Christi, esse poterat? S. Epiphani. orat. de Dom. sepult. verè dives Joseph; siquidem margaritam illam, quæ omnem pretii æstimationem excedit, secum habere, ac portare promeruerat. Verè dives! sacculum enim plenum portabat, nempe ipsummet divinitatis thesaurum. Paoletti l. 6. Fello 5. Joseph.

*Quid quaritis viventem cum mortuò?* Luc. 24. 5. Quarendæ res sunt suis locis. Christus ibi non erat, ubi eam foemina quærebant. Quærebant inter mortuos; erat inter vivos: quærebant in domo mortis; erat in domo vitæ: quærebant in sepulchro jacentem; cum quærere deberent in domo victoriæ triumphantem. Sic tu quære divitias, gloriam, gaudia: hic in Mundo non sunt. Barradius D. Paichat. Marc. 16. t. 4. l. 8. c. 6.

Magnæ sunt divitiæ charitatis; sinè quâ dives pauper est; & cum qua pauper dives est. S. Aug. D. 2. Epiph. f. 2.

Quid habet dives? si DEum non habet? quid non habet pauper, si DEum habet? S. Aug. D. 5. Trinit. serm. 1.

Domi

Dominus dedit, Dominus abstulit &c. Abstulit, qui dedit; nunquid perit, qui dedit? tanquam diceret: abstulit omnia; auferat omnia; nudum dimittat me, & servet mihi se. Quid enim mihi deerit, si DEum habuero: aut quid alia mihi profunt, si DEum non habuero? S. Aug. l. 1. de Symb. fidei c. 3.

Hæ sunt vel maxima divitiæ, non egere divitiis. S. Chryl. in Pl. 111.

Nihil nostrum est, nisi hoc tantum, quod corde possessum, atque animæ nostræ coherens, à nemine potest prorsus auferri. Cassianus coll. 3. c. 10. dicebat Abb. Pafnutius.

Vide tit. Virtutes.

## TITULUS XV. DOCERE. DOCTRINA. DOCTOR.

§. I.

*DEUS vult nos ab hominibus doceri.*

*Ex Veteri, & Novo, & Patribus.*

**V**ocavit Dominus Samuel. 1. Reg. 3. 4. Cur Samuel à DEO vocatus ad Sacerdotem properat? ut puer cum DEO locutus prius ab homine instrueretur de modo, quò se deberet ad divinam locutionem comparare. Mendoza hic. DEus vocat Samuelem; simili voce Heli: & cur non aperit ei, ad quæ vocetur? sed ordinat, ut prius tendat ad Heli? Ut puer instrueretur à Seniore; quomodo se debeat disponere ad DEI mandatum accipiendum. Sylveira in Act. 9.

*Omnes nos quasi oves erravimus: unusquisque in viam suam declinavit.* Il. 53. 6. Daturus rationem, cur omnes erraverit? dicit: quemque in viam suam declinasse, suo iudicio ad hæsisse. Mendoza hic.

*Ubi est, qui natus est?* Matth. 2. 2. Diviniæ est providentiæ ordo, homines ab hominibus doceri. Sylveira hic q. 7.

*Ibi dicitur tibi, quid te oporteat facere.* Act. 9. 7. Saulum vocavit de cælo Dominus, non tamen quid agendum? plenius informavit; sed ad Ananiam remisit. Mendoza in 1. Reg. 3. v. 5. Et Centurionem Act. 10. 5. Cornelium, quamvis exauditas orationes ejus, elemosynasque respectas, ei Angelus nuntiaverit; tamen nullum esse ad Petrum ab eo imbuendum, legimus.

Divinas literas adeò obscuras voluit esse DEus, ut per *librum septem sigillis signatum*, Apoc. 5. 1. communiter intelligantur. Quò hæc obscuritas? Author Imp. hom. 44. in Matth. quia DEus etiam ex hominibus; alios voluit esse Doctores, alios discipulos. Ut scilicet inter eos mutua charitas, & humilitas, confervetur. Mendoza cit.

Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit. S. Bern. ep. 87.

§. II.

*A quo vis velis doceri.*

**Q**uomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi. Act. 8. 31. Ibat Eunuchus, ut valde potens in magnifico curru, multò copiosius. *Sacr. Tom. I.*

mitatu famulorum: è contrà Philippus solus, humili vestitu, pedibusque, incedens. Ab eo tamen ille petit doceri, & illuminari; ut expendit S. Chryl. hom. 35. in Gen. non agrè tulit Ennuchus, nec dedignatus est, neque se contumeliâ affici existimavit: quod plerisque insulsis accidit; quos pudet ignorantiam suam confiteri, & ab eis discere, qui docere valeant; & frequentèr malunt in perpetua versari ignorantia. Sylveira hic.

Laudanda est modestia Apollo; quòd, cum esset vir doctissimus in Scriptura, voluit magis informari ab una muliere, & opifise. Act. 18. 26.

Licet undecunquè proficere, ac doceri. Omnia ferè mysticos afferunt intellectus; & facile est, ex qualibet re morum figurare venustatem. Nihil ita creatum est per se, nihil ita simplex; cui non sit aliquid, unde doceamur; vel cavere noxia, vel salutaria providere. Hildebertus ep. 16.

Vide plura tit. Consilia. Verbum Dei.

§. III.

*Doctores.*

Num. I.

*Figura, & Symbola.*

**P**istor, Gen. 40. 1. significat Doctores grossioris, & naturalis doctrinæ Scribas: per Pincenam verò Doctores specialis doctrinæ. S. Thom. hic.

*Collum tuum sicut monilia.* Cant. 1. 9. In collo Doctores significantur; in monilibus opera exprimuntur: quia ea, quæ verbis docent, operibus ostendunt. S. Isidorus hic.

*Sicut turris David, collum tuum.* Cant. 4. 4. Collum; caput, & membra, connectit: unde per collum designantur, qui vel prædicatione, vel admonitione, alios convertunt, & capitū Christi jungunt. Rich. à S. Vict. hic.

*Et habebat in dextera sua stellas septem.* Apoc. 1. 16. Genuinam harum stellarum interpretationem dat ipse Angelus, qui hōc Joanni revelabat v. 20. *Septem stellas, angeli sunt septem Ecclesiarum.* Il. intelliguntur de Doctoribus. Dan. 12. 3. *qui ad justitiam erudunt multos, fulgebunt quasi stelle.* S. Hieron. hic: qui alios erudunt, stellarum fulgori comparantur: non enim sufficit scire Sapientiam, nisi ut alios erudias. Sylveira hic.

Q99

Nuai.

Num. II.

*Doctor optimus est DEus.*

*Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. 1. Hoc est, Filius osculetur. Neque enim, inquit, volo à Prophetis osculari amplius; non à Patriarchis; sed ipse jam proximè accedat. Non vult per os Prophetarum solum erudiri, atque doceri; sed ipsemet, inquit, appropinquet, jamque me Filius ipse intruat: os enim Dei Patris, est Filius. Philo Carpathius hic.

O quam velox est sermo sapientiæ! Et ubi Magister DEus est, quam citò discitur, quod docetur. S. Leo f. 1. de Pent.

Frustrà discendo laborat homo, qui DEum Magistrum non habet. B. Isaias Abb. or. 8.

Num. III.

*Miscellanea**Ex Veteri, & Novo.*

*Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres; ipse est, quasi tenerimus ligni vermiculus.* 2. Reg. 23. 8. Compose vermiculum cum Sapientissimo; an docebat è cathedra tanquam elatus princeps? non: sed tanquam vermiculus; suà molli teneritudine ligni duritiam domans, alios devinciens, & ad se alliciens; non altà arrogantia, sed humili modestià, & lenitate. Sylveira in Apoc. 1. 9.

*Attendite à falsis Prophetis.* Matth. 7. 15. S. Maximus ità intelligit: docuit Dominus supra v. 14. viam cœli esse arctam, & angustam; nunc subdit: cavete à falsis Prophetis, qui dicunt, viam cœli esse latam, & laxam; & extenuant peccatum, veniam facilem promittunt, & vos in tartara ducunt. Sylveira c. 19. in Matth. hic.

Num. IV.

*Ex Patribus, & aliis.*

Hac ætate (annò tricésimò ætatis Christi) tempus doctrinæ insinuatum est rationabile; & ante has metas perperam invadi Magisterium, data est forma: quia non competit annis impubibus sedere in cathedra. S. Cyprianus de jejun. & tentat. Chri.

Nihil tam præclarum, hominiquè conveniens, potest esse; quam erudire homines ad justitiam. Laclantius lib. 6. div. instit.

Docens aliquis plus discit, & dicens sæpe unà audit cum iis, qui ipsum audiunt. DEus est enim magister, & ejus, qui discit; & ejus, qui audit; qui & mentem irrigat, & rationem, Clemens Alex. l. 1. Strom.

Si me Magistrum libenter vocatis, reddite mihi mercedem: boni estote. S. Aug. de Ordine l. 1. c. 10.

Sicut discipuli probitas, laus est Magistri; ità Magistri vituperatio, discipulus nesciens disciplinam. S. Chrysologus f. 94.

Noctuarum oculis similes habentur sæcularis sapientiæ professores: nam & illarum aspectus noctibus quidem acrior est; exortò autem sole cœcatur: sicut istorum, cum sit acutissimus ad contemplandam vanitatem sensus, erga in-

quisitionem veræ lucis hebescit. S. Basilus hexam. l. 8.

Post prælia Martyrum successerunt in Ecclesia Christi sanctorum, & verorum studia Philosophorum; id est, Doctorum, habentium; qui post spiritum fortitudinis per descensum scribitur, sanctum scientiæ spiritum. Hoc nimirum Evangelicæ fidei idcirco tuit necessarium: quia diabolus, qui adversus eam eatenus pugnaverat, non solum Leo, sed & draco est. Leo, quia apertè sævit; draco, quia occultè decipit. S. Rupertus de oper. Spir. S. lib. 7. cap. 1.

Præceptorum virtus est, nihil honoris, nihil gloriæ, à subditis, sed salutem ipsorum querere; atque hujus gratiæ nihil non facere: ità ut, qui non illius, sed gloriam suam querit; non jam præceptor, sed tyrannus sit. S. Chryf. in ep. ad Ephes. 3. f. 8.

Lucà docente didicimus, quòd B. V. Maria Christum invenerit in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem. Donec annorum defuit integritas, Doctor omnium, fides discipuli non excessit. Hildebertus ep. 12.

§. IV.

*Doctrina.*

Num. I.

*Fac, quod doces.*

*Omni tempore, quò leprosus est &c.* Levit. 13. 46. Ei, qui in lepra peccati est, clauditur sermo, clauditur & os: ut fiducia, sermonis, & docendi autoritas, excludatur, Origenes hom. 8. hic.

*Beati immaculati in via &c. beati qui scrutantur testimonia ejus.* Pl. 118. 1. 2. Quàm pulcher ordo! quàm plenus doctrinæ, & gratiæ! Non prius, qui scrutantur testimonia ejus, dixit; sed prius, beati immaculati in via. Antè enim vita, quàm doctrina, querenda est: vita enim bona, & sine doctrinà, habet gratiam; doctrina sine vità integritatem non habet. S. Ambros. hic.

Magisterium stat de scientia; sed magisterii autoritas constat ex vita. *Cæpit Jesus facere, & docere.* S. Chrysol. f. 167.

*Labia ejus lilia, distillantia myrrham primam. Manus illius tornantes aurea &c.* Cant. 5. 13. 14. Ordinatè post labia manus, id est, opera post verba, laudat Ecclesia sui Redemptoris: quia, quæ verbis docuit, virtutibus credenda esse monstravit. V. Beda hic.

*Aperiens os suum docebat.* Matth. 5. 2. Et cur additum est, cum aperuisset os suum? ut intelligas: quòd & tacens docebat, nedum loquens. Sed nunc quidem os aperiens, nunc autem ex operibus emittens vocem, S. Chryf. in Matth. hic hom. 6.

Num. II.

*Miscellanea.*

*Omnes sitientes venite ad aquas.* Il. 55. 1. Doctrina divina dicitur aqua I. quia infirmos sanat Eccli 15. 3. *Aquâ sapi-*

*Sapientia salutaris potabit illum.* In-  
quinos mundificat, Ezech. 36. 25. *effundam*  
*super vos aquam mundam.* Sittentes satiat.  
Jo. 4. *qui biberit ex aqua &c.* II. Dicitur  
vinum: quia pungit arguendo, incendit exhortando. Pf. 104. 18. *eloquium Domini inflam-*  
*marit eum:* quia inebriat consolando. S. Tho-  
mas in Isaiam hic.

*Quanam doctrina hac nova?* Marci 1.  
27. Novus homo novam Mundo afferbat do-  
ctrinam: quod Mundus contemneretur; quod  
præstaretur indulgentia ferventi; quod super con-  
jugium virginitas ferebatur; quod dignitatem cœ-  
lestem terrena vilitas mercaretur; quod per pec-  
nas, & opprobria, homo posset ad superna con-  
scendere. Sim. Cass. l. 5. c. 8.

*Incipens à Galilæa.* Luc. 23. 5. Ascen-  
dendo docet: nam doctrina Christi facit homi-  
nem in superna conscendere. Cœpit à Galilæa,  
velut à minis doctis, ut pedetentim perveniret ad

doctos Jerosolymis constitutos. Cœpit a Ga-  
lilæa perveniens Jerusalem. Una interpretatur  
*rosa*, altera *pax*: ut sciamus, absque dubio  
Christi doctrinam temporaliter latam tendere ad  
æterna, enuntiatam in Mundo ascendere in su-  
perna. Idem l. 13. hic.

*Sapientibus, & insipientibus debitor*  
*sum.* Rom. 1. 14. Per hoc debitorem se pro-  
fiteretur: quia ad hoc accepit doctrinam, ut  
tradat; & cum tradit, acquirat. S. Ambrosius  
hic.

Sunt in Ecclesia lapides pretiosi, & semper  
fuerunt, docti scilicet, abundantes scientiâ, & elo-  
quentiâ, & omni instructione legis. S. Augusti-  
nus l. 258. de temp.

Doctrina electi Prædicatoris, quid est aliud?  
quàm dies eruditi discipuli. S. Greg. in  
1. Reg. 10.

Vide tit. Concionator.

## TITULUS XVI. DOLOR.

### §. I.

#### Ad dolorem testandum scissæ vestes.

**S***Cissæ, vestibus.* Gen. 37. 34. Vetus mos,  
in luctu scindere vestes; eratque hoc Sym-  
bolum planctus: scissio enim vestium sig-  
nificabat scissum dolore cor. Cornelius hic.

Scindebant vestes, ad testandum animi do-  
lorem. Ruben Gen. 37. 30. Jacob 16. 34. fra-  
tres Joseph Gen. 44. 13. Jephthæ Judic. 11. 35.  
David 2. Reg. 1. 11. Elifas 4. Reg. 2. 12.  
Hinc nuntius, qui tam multas clades Jobo nun-  
tiavit, c. 1. 14. non dicitur scissâ veste, & pul-  
vere conspersus, accessisse: quia hic nuntius,  
cum fuerit ipsè diaboli fraude submissus, ut  
Origenes &c. voluit Jobi aures telò minime præ-  
visò vulnerare; ut repentino dolore consterna-  
tus facilius ad impatientiam, & blasphemias  
contra DEUM, adigeretur. Mendoza in 1.  
Reg. 4. v. 12.

### §. II.

#### Miscellanea.

**A***Bq. liberis me esse fecistis.* Gen. 42. 36.  
Dolentis vox ista est, inquit Abulensis: quia  
dolentes pro re modica faciunt propositiones uni-  
versales: ut, si parva mala habeant, dicant, se  
omnia habere; & si pauca bona eis desint, di-  
cant, sibi omnia deesse. Unde Jacob tres tantum  
filios abfore sentiens, ex vehementia dolo-  
ris, dicit, sibi omnes defuturos; cum tamen  
alii novem illi adhuc superessent. Dolor hic  
oriebatur ex ingenti amore, quò super omnes dili-  
gebant Joseph perditum, & Benjamin abducen-  
dum. Cornelius hic.

*Calicem meum biberis.* Matth. 20. 23.  
Joannes bibit calicem Domini, non vulneribus  
*Polyanb. Sacr. Tom. 1.*

corpore exceptis, sed intimis, & diris dolori-  
bus, quibus ipsius anima premebatur: dolores  
enim animi graviores corporeis. Hinc B. Virgo  
à Patribus vocatur Regina Martyrum; & plus-  
quàm Martyr. In tristitia, & agonia, apparet  
Christo *Angelus confortans eum* Luc. 22. 43.  
non verò Crucifixo: ideo Divina sapientia judi-  
cavit; magis esse necessarium Angelum confor-  
tantem, dum dolores animi patiebatur. Sylveira  
addit. Evang. hic. q. 4.

*Audivi vocem de cælo, tanquam vocem*  
*aquarum multarum, & tanquam vocem*  
*tonitruu magni; & vocem, quam audivi,*  
*sicut cytharadorum cytharizantium in cy-*  
*tharis suis.* Apoc. 14. 2. Eandem vocem, &  
tonitruu, & cytharæ, similem vocat. Rupertus  
hic: in tonitruo terroris asperitas; in cytharis  
verò sonantibus, delectationis est suavitas. Ho-  
nestus dolor nequit à gaudio separari. Cythari-  
zabant, & cantabant, id est, semetipsos affli-  
gebant, & gloriam DEI resonabant. Primò  
vox tonitruu, deinde cytharæ melos: quia de  
dolore oritur gaudium. S. Aug. l. de catechif.  
rudib. citò senties, dulciores esse justitiæ fructus,  
quàm iniquitatis: & veriùs, atque jucundius  
gaudere hominem de bona conscientia inter mole-  
stias; quàm de mala inter delicias. Naxera in  
Jof. 1. §. 26.

Quaquaversum se verterit anima hominis,  
ad dolores figitur, præterquam in te! tamen si  
figitur in pulchris extra te, & extra se: quæ ta-  
men nulla essent, nisi essent abs te: quæ oriun-  
tur, & occidunt; & oriendo, quasi esse incipi-  
unt, & crescunt, ut perficiantur; & perfecta le-  
nescunt, & pereunt. Etenim omnia senescunt, &  
omnia intereunt. Ergo cum oriuntur, & tendunt  
esse; quò magis celeriter crescunt, ut sint; eò  
magis festinant, ut non sint. S. Augustinus l. 4.  
Confess. c. 10.

Dolor nimius non deliberat, nec verecundatur: non confulit rationem, non metuit dignitatis damnum; legi non obtemperat, iudicio non acquiescit; modum ignorat, & ordinem. S. Bernardus ep. 1.

Tempore dediscuntur universa: nihil hu-

mano pectori sic inhaeret, ut tempore non evanescat. Tempore mater mœroris obliviscitur, quæ in morte unici filii sui solatia non admittit. Hildebertus ep. 29.

Dolor speciem ignis gerit: quia, dum plus tegitur, plus ignescit. Blesensis ep. 49.

## TITULUS XVII. DOMINUS.

### §. I.

*Sit misericors, clemens, benignus.*

**E** Misit eum DEUS de paradiso voluptatis. Gen. 3. 23. Decies sacra pagina DEUM Domini titulo commendat, dum hominem creat, tellurem floribus vellet, mare piscibus fecundat &c. at hic solum DEUM. Itã enim legit Lipoman: quia illum scilicet ad spinas, & tribulos damnat. Alvarez Illustr. 3.

*Recordatus quoque Dominus Rachelis.* Gen. 30. 22. Afflicta luccurrit, & tunc vocatur Dominus. Alvarez hic Illustr. 3.

*Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua.* Gen. 39. 8. Dominum vocat, dum beneficium, & liberalem experitur. Postea incarceratus ait: *hic innocens in lacum missus sum.* Non ait: à Domino missus sum. Id, ib.

*Domine, nẽ in furore tuo arguas me.* Ps. 6. 1. S. Gregorius hic: Vides, quã bonum principium, quã affectuosum, quã gratiæ plenum! In eo enim, quod Dominum vocat, quod sui iure misereri deberet, ostendit. Dominorum enim est, servos alere, non negligere. Pinna in Eccl. Ethol. 116.

*Duo hæc audiivi: quia potestas DEI est; & tibi Domine misericordia.* Ps. 61. 12. Non vocat Dominum ex potestate, sed misericordiã. Alvarez in Eccl. Illustr. 3.

*Faciens misericordias Dominus.* Ps. 102. 6. Interroganti tibi, quid sit Dominus? respondes, *faciens misericordias, & iudicium omnibus injuriam patientibus:* quapropter abunde designatus est Dominus DEUS; cum nulli alteri possit convenire, quod dictum est. Cassiodorus hic.

*Etiã Domine.* Matth. 15. 27. Canem vocasti; cum sim familiæ pars, Domini fruar mensã. O fides! o prudentia! o chanaanæ pietas! S. Basilius Seleuc. or. 20. Credit non terrenum, sed cœlestem Dominum: non enim Mundialis principis est, de minimis servis curam habere. Cum dicit Dominum; tunc ille: o mulier! magna est fides tua. Potens argumentum, vocare Dominum: Domini enim est, suorum misereri. Sylveira hic.

*Miserus Dominus servi illius, dimisit eum.* Matth. 18. 27. Quid servus? suffocabat eum.

*Tu quis es?* Jo. 1. 19. Ego Dominus temporalis, comes, dux &c. Et quid est esse Domi-

num temporalem? nunquid habere multam familiam, equos phaleratos, domos, & palatia, opulentam mentiam, magnificas, & preciosissimas, vestes? argenteis, aureis, peristromata; insuper & canum, & accipitrum omne genus? Non utique ad hoc sunt in populo: sed ut sint patres, & patroni, subditorum, quibus præfunt: ut eos in pace, & iustitia, regant, & defendant eos à molestantibus; & subveniant eis in necessitatibus suis. Formam Dominorum audi in beato Job scriptam, qui utique fuit magnus Dominus temporalis: oculus sui sæco &c. c. 29. 15. S. Thomas Vill. D. 3. Adv.

*Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.* Luc. 5. 8. Antea vocaverat Magistrum, cum laborantibus non succurreret; dum juvat, vocat Dominum. Alvarez in Gen. 30. Illustr. 3.

*Optimo Præsidi Felici salutem.* Actor. 23. 26. *Optime Feste* Actor. 26. 25. Modus hic loquendi proprius est ad Prælatos, qui debent alios in bonitate excellere. *Optime*, dicebatur principibus, & Præsidiibus. In primitiva Ecclesia sæculares principes erant communiter valde religiosi. Dionysius Carthus. in Luc. 1.

Vera Dominatio est ipsa, quæ amore imperat, non timore: quæ per affectum sibi, & corpora subdit, & corda; quæ amando non invitam, sed voluntariam, sibi instruit servitutem. S. Chrysostomus l. 6. de myster. cœnz Dom.

Erudimini, qui iudicatis terram. Discite, subditorum matres vos esse debere, non Dominos. Studete magis amari, quàm metui. Etsi interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica: matres fovendo, patres verò corripiendo, exhibeatis. Mansuecite, ponite feritatem; suspendite verbera, producite ubera; pectora lacte pinguescant, non typho turgeant. S. Bern. l. 23. in Cant.

### §. II.

*Dominus sit beneficus, liberalis.*

**S**piritus Domini ferebatur super aquas. Gen. 1. 2. ut habetur in Hebræo. Cur modo primum vocat Dominum? quem hæcenus DEUM. Vide, quid antè dixerit: *terra autem erat inanis, & vacua; & tenebra &c.* Mox DEUS illius miserus lucem creat, quæ te-

nebras, & merorem, dissipet. Nunc ergo vocetur Dominus. Alvarez Gen. 30. Illustr. 3.

Moyfi apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi - & ait: ego sum, qui sum. Ex. 3. 2. 14. Josue autem 5. 14. tanquam vir praeliator stans, & evaginatum gladium tenens: princeps, inquit, sum exercitus Domini. Rupertus in Jos. c. 18. Principem se vocat, qui in Israëliitarum auxilium praeliaturus apparet. Naxera ib. §. 28.

Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus? - nescio Dominum. Ex. 5. 2. ait Pharaos. Postea verò Ex. 14. 25. fugiamus Israëlem! Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Quia Israëlem propugnat Deus, Dominum agnovit. Naxera in Jos. 1. §. 28.

Adorate Dominum in atrio sancto ejus. Pf. 28. 2. Felices, qui Deo serviunt! nam in ipso limine servitutis obvium habent Deum suum. Quam verò Deo dissimiles principes essent; quos vix reperias, postquam interiorum cubicularum alpes congeminas transieris. Felicitus sanè regna administrarentur, & dioeces; si in atrio princeps, vel praelus, colerentur. Certè Salomon non procul ab atrio jus dicebat, quem convenire poterunt facile duæ foeminae jurgantes. 3. Reg. 3. 16. Oliva l. 12. Strom. hic.

Quomodo dilexi legem suam Domine. Pf. 118. 97. Dicitur Dominus, quasi dans munus; & ideo dilectus. Sanctus Bonavent. hic.

Homo peregrè proficiscens. Matth. 25. 14. Cur initiò parabolæ vocatur homo, postea Dominus v. 19. in primo distribuit homo bona, non translato Dominò: secundò locò dona in servos confert: super multa te constituam. v. 21. Sylveira hic. q. 3.

Dominus tecum. Luc. 1. 28. Cur non, Deus tecum? Deus dicit naturam increatam, quæ est ubique; Dominus verò dicit respectum ad servos: quia non solum ut Deus ibi erat, sicut ubique per essentiam, & potentiam; sed etiam ut Dominus: cum Domini splendor maximè eluceat, dum suis præsens adest, fovendo, & tuendo. Sylveira hic. q. 27.

Exi à me Domine. Luc. 5. 8. Usque modò præceptorem dixerat v. 5. quando eum concionantem vocavit: cum beneficia largientem videt, Dominum vocat. Id. hic.

Quam cum vidisset Dominus. Luc. 7. 13. Frequentius Lucas, quam ceteri Evangelistæ, Christum vocat Dominum, in ijs præcipuè locis, in quibus humanitatis officia recenser; ut ejus divinam majestatem ostendens, simul infinuet bonitatem, & clementiam. Stella. hic.

Homo quidam fecit cenam magnam. Luc. 14. 16. Qui nobilissimos civium vocat ad cenam, homo dicitur. Cum mendicis cenaculum replisset, Domini mox titulò honoratur. Exiit, & pauperes - & ait servus: Domine, factum est ut imperasti. v. 22.

Oliv. l. 1. Strom. §. Natus est nobis hodie Salvator.

Dicit ei mulier: Domine, neg, in quo baurias, habes. Jo. 4. 11. Christi doctrinà jam proficiebat, ut notant Chrysof. Euthym. Theophyl. & Beda: & quem antea Judæum dixerat, jam Dominum vocat. Nam dixerat - & dedisset tibi aquam vivam; v. 10. quia vidit liberalem. Sylveira hic.

Domine, hominem non habeo. Jo. 5. 7. Cum aliquid speraret ab eo accipere, Dominum vocat, Hugo Card. Tantà devotione captus est ad benignitatem sermonis Christi: statim enim eum honorans, Dominum dicit: Sylveira hic.

Domine, semper da nobis panem hunc. Jo. 6. 34. Frequentius Judæi Christum Rabbi, Magistrum, vocarunt; hic autem Dominum: ut sic facile eum inducerent, ad dandum iis panem cœlestem, quem petebant. Sic & Samaritana, cum aquæ vivæ excellentias audiret, dicit: Domine, da mihi hanc aquam. Sylveira hic. q. 11.

Dominus meus! & Deus meus! Jo. 20. 28. Ubi suavitatem carnis Christi attigit, statim supereminens regis, ac Domini delicias gustavit, & sensit. Id. ib.

## §. III.

Dominus potestate utatur in bonum subditorum.

Pro salute vestramisit me Deus ante vos in Ægyptum. Gen. 45. 5. Dicebat Joseph.

Nè putes, quòd animam tuam tantum liberes. Esth. 4. 13. dicebat Mardocheus ad Esther.

Domine, si vis, potes me mundare. Matth. 8. 2. In divitiis, & potentibus hujus sæculi, plerumque potestas, & voluntas, quoad bonum, & malum. Diez D. 3. Epiph.

Data est mihi omnis potestas. Euntes ergo docete &c. Matth. 28. 18. Novarinus: quis verborum nexus, quæ consecutio ista est? data est mihi omnis potestas, ergo docete omnes gentes. Injuriarum memor dixisset: potestas mihi data est; ergo penas luent, qui in me savierunt. Non dixit hoc: injuriarum oblitus querit omnium salutem. Didacus Nisfenus in Phœnice l. 7. c. 6.

Nam etsi amplius aliquid gloriosus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in adificationem, & non in destructionem; non erubescam. 2. Cor. 10. 8. Sanct. Chryl. hom. 22. hic: ergo ad hoc potentiam accipimus, ut œdificemus.

Vide tit: Potestas.

Q993

§. IV.

§. IV.

Vitia malorum Dominorum.

Num. I.

Volunt sibi Deum conformem.

**N**emrob robustissimus venator coram Domino. Gen. 10. 9. Dabat operam venationi robustissimus homo; non solum delicias quærens venando, sed insuper volens ad delicias suas oculos Dei trahere. Sic explico illud: *coram Domino*: quasi vellet gratum sibi affidere Deum, & aridere; dum suas voluptates sectatur. S. Ambr. l. de Noe & arca c. 34. qui terrenas diligit voluptates, eas sequitur; & putat, his se posse ad Dei gratiam pervenire; & regnum caelorum hujusmodi erroribus deserendum. Vellent Mundiales, Deum gaudere his rebus, quibus ipsi gaudent. Sic fingeat regem Mundiale somnium Nabuchodonosor: Bæza t. 2. l. 6. c. 6.

*Ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia.* Dan. 4. 7. *Proceritas ejus contingens caelum.* Quid cum caelo habebat regia hæc arbor? sufficeret, quod in medio terræ esset, pulchritudo foliorum, copia fructuum. Sanè nihil reliqua omnia ad regium factum essent, nisi & caelum ipsum, & Deus, ipsi arbori appropinquaret, ac ejus delicias, & gloriæ applauderet. Bæza t. 2. l. 6. c. 6. §. 5.

*Rogabat eum quidam de Phariseis, ut manducaret cum illo.* Luc. 7. 36. Hic adumbratur mundialium principum vanitas, quæ se fallunt; non ipsi ad Deum relicti suis irucupientes; sed Deum ad se vocantes, ut Deus eorum assideat mensis; eorum conformetur affectibus, & voluptatibus. Id. ib.

Num. II.

Varia de malis Dominis.

*Potentes potenter tormenta patientur.* Sap. 6. 7. Nam quanto magis aliquid suo contrario resistit, eò postea, si superetur, operatio contrarij sui, quod vicit, est efficacior. Magis resistit ignis ferro, quam ligno; sed cum ignis vincat utrumque, intensior est calor ferri, quam ligni. Stella p. 3. c. 99.

*Cujus vestrum ajinus est.* Luc. 14. 5. Perversis, & excoecatis illis Legisperitis & Pharisæis, jam multi Domini sunt similes: quia, si viderint pecoribus suis aliquid adversitatis contingere, mox succurrunt; sed si viderint proximos suos aut subditos, spiritualiter lædi, atque occidi, scilicet peccare mortaliter, tacent, dissimulant, non curant, nec dolent. Dionysius Carthus. hic.

Servus est conditione, gratiâ tamen frater est. Etenim similiter Christum induit; jidem participat sacramentis; eodem, quod & tu, Deo Patre; cur te non utatur ut frater? Sunt enim plerique, qui de venatibus redeuntes, magis canum, quam servorum, curam gerunt; & faciunt eos vel juxta se recumbere, vel dormire; quotidianum illis cibum sui presentiam ministrantes: qui, utrum servi eorum fame moriantur, ignorant: & quod est gravius, nisi diligenter his praparatum fuerit; pro cane servus afficitur. Vides enim in nonnullorum domibus nitidos, & crassos, canes ducere; homines autem pallentes, & titubantes, incedere. S. Ambr. l. 33. in tempore jejuniij non luxuriandum esse.

## TITULUS XVIII.

# DOMUS.

### Materialis, & moralis.

**Æ**discavit quoque domum saltus Libani. 3. Reg. 7. 2. Erat hæc domus ad amœnitatem, & recreationem, comparata. Sed cur dicitur saltus seu sylvæ Libani? Resp. 1. quia in loco sylvo montis Sion, ac instar Libani arboribus, & viridarijs, cincta. 2. quia constructa erat ex lignis Libani. 3. quia suis nemoribus, amœnitate, viriditate, umbrâ, speciem Libani representabat. 4. quia multitudine columnarum cedrinarum cedros Libani imitabatur. ita Theodoretus. 5. quia ex ea prospici poterat Libanus; ejusque aura tempore æstivâ captari. ita Arias. Unde Josephus, & Chald. eam vocant *domum refrigerij*. Sita erat in Jerusalem, & in monte Sion. Cornelius hic.

Cornelij domum, Act. 10. 48. conversam esse in Ecclesiam, eamque adhuc suo tempore extitisse, docet Sanctus Hieronymus ep. 27.

Sit domus Christiani hominis immunis à choro diaboli: sit planè humana, hospitalis; orationibus sanctificetur assiduis; psalmis, hymnis, canticisque spiritualibus, frequentetur. Sancti Gaudentius tr. 8. de lect. Evangelij.

Marcianus domunculâ se inclusit, in qua stans rectus non stare, nec recubens pedes extendere, poterat. B. Theodoretus histor. PP.

Sic habita; ut potius laudetur Dominus, quam domus. S. Martinus Bracar. in Maximis de moribus.

Communiter dicitur: tria sunt, quæ expellunt hominem de domo: fumus, stillicidium, & mala uxor. Unde versus: sunt tria damna domus: imber, mala foemina, fumus. Hugo Card. in Prov. c. 19.

Cardinalis Dominicus de la Rovere domui suæ hos versus inscribi fecit:

Stet

*Stet domus hæc, donec fluctus formica  
marinos  
Ebibat; & totum testudo perambulet or-  
bem.*

Paulus Aringi de Roma nova, & vetere.

Angusta est mihi domus animæ meæ, quous-

que venias ad eam, & dilatetur à te. Sancti Augustini Manuali c. 5. Ostendit Iesus eis. Jo. 1. 37. 38. Ubi maneret, venerunt & fuerunt cum illo. Quam beatam diem duxerunt! quam beatam noctem! Edificemus & nosmetipsi in corde nostro, & faciamus domum; quod veniat ille, & doceat nos. Sancti Augustini, tr. 7. in Joan.

## TITULUS XIX. DONA.

### §. I.

#### *Dona Divina omnia magna.*

**E**t hinc dicitur, Math. 26. 30. Omne minimum magnum est, si æstimatur magnitudo donantis, & altâ mente consideratur dignatio largiendi. Minimum æquatur magnis muneribus, si donatur à procere; multo magis, si dantur ab omnium auctore regnorum. Nihil potest dici parvum, aut modicum, quod datur à Deo: hinc est, quod omnia nos ad gratiarum actionem invitent. Sim. de Call. 1. 13. c. 7.

*Rogabat illum quidam de Phariseis, & ingressus discubui.* Luc. 7. 36. Nota: *rogabat*, est præteritum imperfectum; *discubuit* verò, præteritum perfectum: nostra enim obsequia semper imperfecta; dona autem Christi plena, & perfecta. Sylv. hic. c. 15.

Sæpe numerò magnum Dei donum est, non multa dona à Deo accipere. Blofius ep. ad amicam.

### §. II.

#### *Non omnibus omnia.*

#### *Ex Veteri.*

**L**ia lippis oculis, Rachel decora facie. Gen. 29. 17. Nota quomodo Deus dona sua distribuat: omnibus quidem dat aliqua; sed nulli omnia: sic Rachel dedit pulchritudinem, sed non fecunditatem; hanc Lia, sed non pulchritudinem. Corn. hic. S. Greg. mor. 1. 6. c. 28. Rachel pulchra, sed sterilis; Lia autem lippa, sed fecunda: quia nimirum mens, cum contemplando otia appetit, plus videt; sed minus Deo filios generat: cum verò ad laborem prædicationis se dirigit, minus videt; sed amplius parit. Rachel, quæ antè sibi felix videbatur, ut sororem despiceret, per sterilitatem depressa est; ut se miseram cognosceret: & Lia, quæ omnibus contemptibilis videbatur, ex fecunditatis abundantia sibi postea felix visa est. Did. Niff. Dom. 3. adv. §. 4.

Moyfi datur virga prodigiorum effectrix, sed impeditior lingua. Ex. 4. 17. *Aaron frater tuus Levites, scio, quod eloquens sis.* Ex. 4. 14. Consummata in neutro perfectio est: Moyfes mutuatur à fratre vocem,

& mutuatur virgam, Aaron accipit virgam, & commodat fratri loquelam. Neuter superbus, quia alterò se indigere conspicit: neuter animò cadit, quia & laude aliqua præcellere videt. Imò in isto sermone hoc spectes: Deus enim Moyfi inspirat, quæ ad regem perferenda: Aaron, à Moyse accipit, depromit. *Ipsè loquetur pro te ad populum, & erit os tuum.* v. 16. Naxera in Jos. 14. §. 5.

*Erit os tuum. ib.* Disce, quàm bona societas: cum enim omnis homo defectum habeat; alter supplet alterius: quia in adiutorium mutuam homo creatus est: Moyfes ab Aaron eloquentiam; Aaron à Moyse sapientiam accipit. Corn. hic.

Dederat Moyfes duabus tribus, & dimidiâ, trans Jordanem possessionem, reliquis novem, & dimidiâ, Josue. Jos. 13. 17. Moyfes primæ divisionis sortitur gloriam; Josue laudem obtinet amplioris. Invicem se uterque excedit: ille hunc tempore; hic illum amplitudine. Naxera hic §. 5.

Dum Goliath Israëlitas provocaret 1. Reg. 17. 8. Cur non Jonathas, qui percussit Philisthæos 1. Reg. 13. 3. ad certamen se obtulit? Abulensis hic: fortè Jonathas aggressus fuisset Goliath singulari pugna; nisi Dominus repressisset ejus animositatem. Ut exaltavit David, contulit ei hanc animositatem: neque enim uni soli victorias omnes impertiri voluit.

*Similitudo autem vultus eorum &c.* Ezech. 1. 10. In Ezechielis curru aliud animal simile leoni, aliud aquilæ, aliud bovi, aliud homini. 1. Cor. 7. 7. *alium quidem sic, alium verò sic.* Non omnes ad currum aquilæ sunt. Unus currum trahet volando, alias arando. Bos factus ad laborem, aquila ad volatum. Leo, si rugit, currit, homo, si imperet, trahit. Martha epulum parat, & placet; Magdalena plorat, ut placet Christum. Olival. 4. Strom. §. Domine, quid me vis facere?

*Audivi vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram.* Ezech. 3. 13. Quid est ergo, quod hæc pennata animalia vicissim alas, alteram ad alteram ferunt? nisi quod omnes sancti se invicem suis virtutibus tangunt, & sese ad profectum excitant.

ex consideratione virtutis alienæ. Non enim unidantur omnia, nè in superbiam elatus cadat; sed huic datur, quod tibi non datur; & tibi datur, quod alteri denegatur: ut dum ille considerat bonum, quod habes, & ipse non habet, te sibi in cogitatione præferat: & rursum, dum tu habere illum conspicias, quod ipse non habes; te illi in tua cogitatione postponas. -- Hoc itaque omnipotens Deus agit in cordibus hominum, quod facit in regione terrarum. Poterat enim unicuique regioni fructus omnes tribuere; sed, si unaqualibet regio alterius regionibus fructibus non indigeret, communionem cum altera non habuisset. Unde fit, ut huic vini, alij verò olei abundantiam tribuat; hanc multitudinem pecudum, illam verò ubertate abundare faciat frugum: ut, cum illa defert, quod ista non habet; & ista reddit, quod illa non detulit; per communionem gratiæ, sibi simul etiam divitiæ terræ, conjuncti sint. Sicut ergo terrarum, ita sunt mentes Sanctorum. Sanctus Gregorius hic.

### Ex Novo.

Divisit Christus panes illos. Matth. 14. 29. Poterat singulos singulis dare; sed voluit ostendere, quam rationem servet in donorum suorum distributione erga justos suos. Non enim eis integros panes dare solet, sed fragmenta, alia alijs. Diez D. 4. Quadr. *Distribuit dissumbentibus.* Jo. 6. 11. O liberalissime Domine! ut quid panes confringis? nunquid non potes singulis integros panes dare? Possum hoc facere: sed volo homines erudiri; quòd, quamdiu in hoc sæculo vivunt, panem integrum sperare non debent. Etenim in hac vita omnia divisa, & confracta, tribuuntur; etsi homines integrum panem exquirant, nunquam illum inveniunt. Est aliquis nobilis, dives &c. sed Xantippen in domo habet. Alius probæ frugis uxorem habet, sed defuncti liberi, quos optat. Diez D. 4. Quadr.

*Uni dedit quinque talenta, alij autem duo.* Matth. 25. 15. Durum esse confervo, talentis pluribus ab alio locuplete, vix unò instrui. Verum cum audias, tuis fuisse viribus adæquata talenta, gaudere debes, non angere. Ergo te dilexit Dominus, cum non ditavit: oppressisset enim vires, si dona cumulasset. Oliya l. 6. Strom. §. hic.

*Ego vox clamantis in deserto.* Joan. 1. 23. Cum utrumque Joannem charissimum haberet Christus; Baptistæ tamen clamandi gratiam potissimum concessit; Evangelistæ autem scribendi gloriam reservavit; ut nemo se omnibus donis locupletatum præfidat. Did. Niss. D. 3. adv. §. 4.

*Dixit Discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro, Dominus est.* Joan. 21. 7. Petrus amore fervidus fluctibus se commendat; Joannes aquilino intuitu, Petrus affectu excelebat; Petrus pedibus, Joannes oculis glo-

riofus: habuit uterque, quod reprimeret gloriæ, Petrus caliginem, Joannes tarditatem. Naxera in Jos. 13. c. 14. §. 5.

*Dividens singulis, prout vult,* ait S. Paulus 1. Cor. 12. 11.

*Data sunt illis septem tubæ.* Apoc. 8. 2. Non omnes tubæ dantur uni angelo, sed quivis suam accipit. Quivis Prædicator contentus sit suo talento, & infllet tubam suam, non alienam. Sylveira hic.

### Ex Patribus.

Non uni dantur omnia, nè in superbiam elatus incidat. Forsan idipsum Lucifero ruinæ fuit; quod omnis lapis pretiosus esset operimentum ejus. S. Greg. M. hom. 14. in Ezech.

In divisione donorum diversi percipiunt diversa munera; non tamen conceduntur uni omnia: ut sit pro humilitatis studio, quod alter admiretur in altero. Sancti Ildorus l. 2. c. 5.

### §. III.

#### *Dona dantur in bonum proximorum.*

*Infirmos curate &c.* Matth. 10. 8. Ulius gratiæ debet esse liberalis in proximum; *gratis acceptis, gratis date,* ait Dominus hic. S. Bonaventura l. 2. de ingressu ad sapientiam.

*Alij datur sermo sapientiæ &c.* 1. Cor. 12. 8. Quia sapientiæ, & scientiæ, à DEO nobis sic donatur, ut in alios derivetur. S. Bernardus l. 13. in parvis: Cætera charismata dantur nobis ad aliorum utilitatem: Unde Apostolus, cum de distributione donorum loqueretur, non ait simpliciter, alij datur sapientiæ, alij scientiæ; sed addidit dicens: *sermo sapientiæ, sermo scientiæ:* Ut eò tenderet, quòd hujusmodi dona dentur propter alios, ut alij adificentur. Sylveira in Apoc. 10.

Ad hoc Deus dat aliquibus specialia dona, ut ipsi effundant illa in utilitatem aliorum: non enim dat lumen soli, ut sibi soli luceat, sed ut toti Mundo. S. Thomas in ep. 2. Corinthi,

### §. IV.

#### *Dona DEI sunt stabilia, & continua.*

*Date nobis de oleo vestro.* Matth. 25. 8. Virgines fatuæ habent parva vascula, nec oleo replentur; sed etiam in parvis deficit. Elifæus, ut beneficeret mulieri, iussit 4. Reg. 4. 3. *vade, pete ab omnibus vicinis vasa vacua, non pauca.* Et oleum superabundat, vasa deficient. Virgines habent oleum Mundi, vidua oleum Dei. Oleum Mundi etiam in parva vasa parcè datur, ut excedant nostram capacitatem. Hugo Victor. l. 1. mi-

l. i. miscell. c. 51. habet oleum Deus, habet oleum & Mundus: ad oleum Dei vasa deficiunt; oleum Mundi in vasis deficit: oleum Dei, dulcedo aeternorum; oleum Mundi delectatio praesentium; illa sufficit, ista deficit. Sylveira in Jo. 4. q. 37.

*Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum &c.* Joan. 4. 13. Cur haec aqua Christi extinguit sitim in aeternum, cum angelus dederit Eliae potum solum ad quadraginta dies? 3. Reg. 19. 7. 8. Aqua Christi est donum à manu Domini veniens. At aqua distributa manu ministri, etiam angeli, in occasione deficit, & non tollit sitim. Id. ib. q. 22.

*Dabo tibi coronam vitae.* Apoc. 2. 10. Cur non addit aeternae? cum revera ita sit. Sed hoc subintelligitur: quia cum haec corona datur à Deo, certum est, quod sit aeterna; talia enim sunt dona Dei. Sylveira hic.

## §. V.

*Dona Dei ad omnes se extendunt.*

*Ecce ego pluam vobis panes de caelo.* Ex. 16. 4. & Psalm. 77. 24. Sap. 16. Cum multa mirabilia facta sint in Aegypto per manum Moysis, & ejus virgam, Ex. 7. &c. cur non etiam in manna adest manus Moysis? Deus per illum utrumque poterat praestare; sed vexetur per manum Moysis Aegyptus. Dum vero manna, supremi Regis donum, è caelo cadit, ipse Dominus det, & pluatur; nulla hic sit manus ministri, ut nullus esuriat, sed omnibus abundet. Cassiodorus l. 12. var. 11. dona regum nullà debent pollutione fuscari; sed, sicut ab ipso exeunt copiosa, ita debent ad cives pervenire: mutant enim quamlibet largitatem ministrorum manus. Sylveira in Jo. 4. q. 22.

*Multi in nativitate ejus gaudebunt.* Luc. 1. 14. Quare multi, & non omnes? Bada hic: notandum, quod natò Praecursore multi gaudebunt; natò autem Domino annuntiat Angelus gaudium magnum, quod erit omni populo. Luc. 2. 10. Quia videlicet hic salutem multis praedicare; ille omnibus, qui velint, venit donare. Hoc discrimen inter salutem, & bonum, datum

à Deo, & homine: quod enim est à Deo largitore, ad omnes se extendit; quod vero ab homine, ad paucos. Sicut etiam dixit Angelus Zachariae: *uxor tua Elisabeth pariet tibi filium*; at B. Virg. *ecce concipies in utero, & paries filium*. Sed cur, sicut Zachariae, non est appositum tibi? Sanctus Chrysologus f. 142. *quia sanctum vocabitur Filius Dei*: qui Filius Dei est, omnibus nascitur; Filius vero hominis tantum particularibus, scilicet tibi. Sylveira in Luc. 1. q. 19.

*Regnabit in domo Jacob.* Luc. 1. 32. Quare non dicitur in domo Abraham, Isaac? In domo Abraham duo sunt nati filij; unus tantum, scilicet promissionis, obtinuit benedictionem. In domo Isaac duos peperit Rebecca; unus tantum assecutus est benedictionem. At in domo Jacob duodecim progeniti filij; & omnes propriis benedictionibus ditati sunt à patre Gen. 49. 1. &c. In hac ergo domo praefigurabatur regnum Christi; cujus dona non unus, vel alter possidet, sed ad omnes se extendit. Sylveira hic. q. 40.

## §. VI.

*Dona divina, & humana, vocantur benedictiones.*

*Suscipe benedictionem.* Gen. 23. 11. *Benedixit Dominus domui Aegyptij* Gen. 39. 5. *Suscipe benedictionem hanc.* 1. Reg. 25. 27. *Obsecro, ut accipias benedictionem.* 4. Reg. 5. 15. *Dominus benedixit novissimis Job magis, quam principio ejus.* Job 42. 12.

*Benedicta tu in mulieribus.* Luc. 1. 28. Hebr: *Berucab*; quod donum & beneficium significat. q. d. maximis à Deo inter omnes beneficiis ornata. Benedictionem enim significare beneficium patet 1. Reg. 25. 27. Ubi Abigail dona quadam offerens David ait: *suscipe benedictionem hanc*. Et Naaman 4. Reg. 5. 15. cum à lepra curatus quadam Eliseus daret; *obsecro, inquit, ut accipias benedictionem à servo tuo.* Dic. conc. 2. de Incarnat. div.

